



De

Servii Tullii censu.

Dissertatio historica,

quam scripsit

Rudolphus de Raumer,

ph. dr.



Erlangae

apud Blaesing

MDCCCXL.

De Servii Tullii censu scripturus valde vereor, ne a cujusvis generis lectoribus respuatur dissertatio mea. Plerique enim satis jam superque disputatum esse de Servii Tullii institutis judicabunt, quae quum ad nostra tempora nihil referant, de Sirenum cantibus disquirere eos, qui ad amussim omnia perscrutari velint. His vero respondemus, nequaquam inter omnes constare, quid ad nostra spectet tempora, quid non. Ac nostra quidem sententia, quidquid unquam factum est in toto terrarum orbe, id ad nostra quoque spectat tempora. Sed licet, vel minimi momenti esse ad res nostras, quod ante haec duo millia annorum factum est in imperio Japonico, libenter concedamus, tamen Romanorum rempublicam ad nostram usque aetatem vigere atque virere in animis hominum, vel coecus videre potest. Quis enim ignorat, maximi in hoc orbe terrarum imperii gubernatorem hominis Romani nomen honoris caussa sibi induere? An obliti estis, Russorum imperatorem Caji Julii *Caesaris* successorem se profiteri? Eademque respublica, cujus princeps summis imperatoribus nomen suum communicavit, non minus viget in animis eorum hominum, quorum maxima his temporibus

bus libera est respublica. Summorum enim gubernatorum concilium in rebus publicis Americae septentrionalis conjunctis a Romanorum republica mutuatum est „*Senatus*" nomen; eaque domus, in quam conveniunt Senatores illi Americani „*Capitolium*" adpellatur.

Haec dicta sint iis, qui nihil se credere gloriantur, nisi quod manibus attrectare possunt. Caeteri enim, quantam habeant vim in leges, in vitam, in totam denique sentiendi cogitandique rationem nostram immortales illi Romani, et ipsi sciunt. Quam ob rem nihil curo eorum opprobria, qui ne hircum mulgeam veternas istas historias perquirens admoneant. Quisquis enim imperium ingeniorum, quo nostra quoque aetate utuntur antiqui illi populi, bene novit, is summa diligentia omnia eorum instituta perquirenda esse non dubitabit. In quibus quum nihil sit tam parvum, quin accurata dignum videatur disquisitione, quid dicam de comitiis Romanorum centuriatis, quae totius reipublicae quasi fons erant atque caput?

Sed aliam in reprehensionem ne incurram, magis vereor. Eam enim dissertationi meae elegi materiam, quae iterum iterumque jam tractata sit a doctissimis acutissimisque viris. Nam ex quo resuscitata sunt humanarum litterarum studia, viri docti in perscrutandis antiquissimis illis Romanorum institutis ingenia exercuerunt. Et quantum vetustiores philologi in explicandis difficillimis Titi Livii locis huc pertinentibus elaborarint, ex amplis Drakenborchii commentariis videre licet. Sed ni-

hilominus, quasi nihil profecerint philologi antiqui, de integro incepta est disquisitio, ex quo B. G. Niebuhrius vir aeternae memoriae ad illustrandas veterum Romanorum res contulit animum. Niebuhrius enim novum, ut ita dicam, investigandi genus invenit, ita ut licet omnes ejus sententiae, — (id quod nunquam accidet!) — rejicerentur, tamen historiae Romanae ducendus esset restitutor. Ac jam non pauci ea, quam Niebuhrius munivit, via secuti sunt magistrum. Inter quos Walteri mentionem facere liceat, cujus historia institutorum Romanorum non minus docta est quam dilucida. Et postquam tales viri omnes antiquorum scriptorum de Servio Tullio locos iterum iterumque volutaverunt, me quoque ad eos accedere rursusque librorum priscorum testimonia excutere, id est, quod valde verear, ne mihi comparet invidiam. Quamobrem monendi sunt mihi lectores, ne caussam commisceant cum patrono caussae, sed candide dijudicent, qua in parte sit verum. His breviter praemissis ad rem ipsam accedamus.

§. 1.

Qui fuerit reipublicae status ante Servium Tullium.

Servius Tullius quum regni Romani curam susciperet hunc fere reperit reipublicae statum. Finium Romanorum incolae divisi erant in partes duas, quarum alteri *patriciorum* erat nomen, *plebejorum* hominum alteri. Quae fuerit harum partium origo, nostrum non est disquirere; id solum adnotamus, *populi* nomen antiquissimis illis temporibus

ad patricios solos pertinuisse, ita ut *populus* opponeretur *plebi*. Universa reipublicae vis quum illa aetate esset apud *populum*, qualis fuerit ille populus, ante omnia est explicandum. Distributus erat populus in *tribus* tres, quibus nomina erant Ramnensium, Titiensium, Lucerum, et quarum quaevis denas continebat *curias*, ut universae curiae numero essent triginta. Curiae autem compositae erant e denis societatibus minoribus, quae *gentes* adpellabantur. E senioribus gentilibus, — divisa enim erat quaevis gens in seniores et juniores —, eligebatur senatus, et ita quidem ut singuli e quavis gente designarentur senatores. Itaque quum trecentae essent gentes (30+10), totidem numerabantur senatores, qui distributi erant in triginta decurias, ut secundum partitionem gentium decem *decuriae* (= 10 × 10 senatores) essent e Ramnensibus, decemque e Titiensibus ac totidem e Luceribus. Antiquissimis temporibus quum Ramnenses nobiliorem obtinerent locum quam Titienses et Luceres, e quavis Ramnensium decuria eligebatur *princeps decuriae*, qui decuriarum Ramnensium principes adpellabantur *decem primi senatus*. Sed postquam primum Titienses, deinde Luceres quoque eandem nacti sunt dignitatem, qua gaudebant Ramnenses, ex universo triginta decuriarum numero eligebantur decem primi senatores.

Si qui vita decesserant e trecentis illis senatoribus, supplebat senatum secundum ejus gentis, ad quam pertinuerat senator mortuus, rogationem *Rex*, qu itoti reipublicae administrandae praeerat.

Rege mortuo summa in republica potestas penes decem primos senatores erat, qui nomen interregum gerebant et alternantes per quinos quisque dies rempublicam gubernabant. Interreges quum de novo rege creando convenissent senatusque sententiae eorum esset assensus, tum is, cujus ille dies erat, interrex ad curias deferebat *patrum auctoritatem*[1]), curiaeque novi regis electionem ratam faciebant. Curiarum comitiis suffragia ferebantur non viritim, sed secundum curias, ut singula triginta curiis essent suffragia. In quavis autem curia numerabantur gentium suffragia, in gentibus denique singuli cives. Haec erant *comitia curiata*, quae e tribus comitiorum generibus sola antiquiora sunt Servio Tullio. Sed comitia curiata quum *populi* tantum essent, plebes universa reipublicae gerendae nullam habuit partem.

Populus igitur ac plebs praecipuae erant incolarum Romanorum partes. Sed non praetermittendum est tertium quoddam hominum genus, quod neque inter plebejos numeratum homines neque inter patres *Clientium* gerebat nomen. Clientes enim bene distinguendi sunt a plebe[2]). Nam li-

1) Haec desumta sunt e Walteri l. l. (I. p. 25.), quem juxta Niebuhrium maxime secuti sumus in hac prima dissertationis nostrae parte.

2) Nota quidem res, sed nihilominus adjiciam T. Livii locum, e quo hominum plebejorum et clientium discrimen optime intelligitur. (Volero Publilius) — — — rogationem tulit ad populum ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent. Haud parva res sub titulo prima

beri quidem erant homines, sed nihilominus sub quadam patriciorum ditione, et ita quidem ut suos quaeque patrum familia haberet clientes. Patronus cum clientibus suis simili quodam vinculo conjunctus erat, ut pater familias cum liberis. Consilio eos adjuvit et in judiciis iis adfuit. Clientes autem pietate adstricti opem ferre debebant patrono atque omnino sub nutu ejus fuisse videntur.

Plebis conditio qualis fuerit ante Servium Tullium, e scriptorum veterum testimoniis parum intelligitur. Etenim postquam Niebuhrius refutavit Livii ac praecipue Dionysii fabulas, nihil fere comperti remanet de plebei conditione ante Servium Tullium. Haec tamen pro certis habere licet, primum cives fuisse homines plebejos; deinde nullo pacto confundendam esse plebem cum clientibus. Et quamquam prorsus erat separata a patribus plebes, tamen, ut omnia antiquiora sint falsa, ex ipsis Servii Tullii institutis colligere possumus, jam priscis illis temporibus et opibus et dignitate quadam excelluisse homines plebejos[4]).

§. 2.
De Servii Tullii tribubus.

Primus qui inter reges Romanos in ordinandis

specie minime atroci ferebatur; sed quae patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi, quos vellent auferret. (II., 56.).

4) Caeterum conferas ea, quae ex aliorum populorum similitudine egregie divinavit Niebuhrius, I., p. 446 sq.

plebei rebus curam posuit Servius Tullius erat. Quo factum est, ut nullus inter reges Romanos tantum momenti habuerit ad sequentem reipublicae fortunam, quantum Servius Tullius. Quamobrem promto paratoque animo assentimur Ciceroni, in cujus de republica libris dicit Laelius de Servio Tullio verba facturus: „*Sed sequitur is, qui mihi videtur ex omnibus in republica vidisse plurimum.*“ Cui respondet Scipio: „*Ita est*“ Ac ne nos quidem contradicimus viris illis Servium Tullium collaudantibus. Etenim quae ille instituit, per quingentos annos fundamenta erant maximae in orbe terrarum reipublicae. Primum enim totum reipublicae Romanae agrum in viginti sex Urbemque ipsam in quatuor divisit *regiones*. Quo facto omnes, qui in una eademque regione habitarent, cives plebejos sub nomine *tribulium* conjunxit, ut quatuor efficeret tribus urbanas, rusticas viginti sex. Neque vero hae *tribus* et plebejae et certis circumscriptae regionum finibus confundendae sunt cum tribubus illis antiquis patriciorum Romanorum [4]. Nam

4) Id quod factum est haud raro ante Niebuhrium. Conferas e. g., quid vel ipse Sigonius, vir ille justis Niebuhrii laudibus celebratus, adnotet ad Liv. II, 21. Praestat autem, inquit, ut, quo facilior hujus quaestionis (de tribuum numero) explicatio sit, quae quoque tempore tribus additae sunt, ex sententia Livii exponamus. Primum igitur tres a Romulo rege tribus factae sunt, Tatiensium, Ramnensium et Lucerum. Hae deinde a Serv. Tullio rege quatuor redditae, a regionibus appellatae sunt etc.

toto coelo distant ab illis, quae quum nonnisi ad patricios pertinerent, Servii tribus, ne unum quidem continebant neque patricium neque clientem[5]). Suum cuique nomen erat regioni eademque nomina gerebant triginta illae tribus. Unde apparet, secundum agros suos possessionesque immobiles initio distributos fuisse cives, licet sequenti tempore in aliam regionem transmigrantes non excluderentur ab ea tribu, ubi familiae eorum inscriptae erant[6]). Simulatque in tribus sunt divisi homines plebeji, haud dubie etiam consilia inierunt de rebus suis. Quam ob caussam jam ad Servii Tullii aetatem referenda sunt *comitiorum tributorum* initia. Sed in rempublicam administrandam parum habebant momenti comitiorum tributorum plebiscita. Nam quum eae tantum caussae in comitiis tributis tractarentur, quae ad *plebem* solam spectarent, *populus*, penes quem etiamtum omnes magistratus publici erant, plebiscitis non tenebatur. Suffragia ferebantur in comitiis plebei *tributim*.

§. 3.

De Servii Tullii censu secundum Livii Dionysiique descriptiones.

Plebes, quamvis tribuum divisione in firmum esset ordinem redacta, tamen hac re, ut demonstra-

---

5) Cf. Liv. II, 56.

6) Haec omnia tam ingeniose illustravit Niebbuhrius I. 446 sq., ut revera artis criticae triumphus adpellanda sint ea, quae his de rebus disputavit vir ille sagacissimus. Ac mihi quidem nihil remansit dubitationis, quin

vimus, reipublicae gerendae nullam adepta est partem. Servius Tullius autem, quum id quoque consilii haberet, ut plebem advocaret ad rempublicam gerendam, universam et populi et plebis multitudinem in ordines quosdam distribuit atque classes. „Censum [7] enim instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Tum classes centuriasque et hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello. Ex iis, qui centum millium aeris, aut majorem censum haberent, octoginta confecit centurias, quadragenas seniorum ac juniorum. Prima classis omnes adpellati. Seniores, ad urbis custodiam ut praesto essent; juvenes, ut foris bella gererent. Arma his imperata, galea, clipeum, ocreae, lorica; omnia ex aere. haec ut tegumenta corporis essent. tela in hostem hastaque et gladius. Additae huic classi duae fabrum centuriae, quae sine armis stipendia facerent. datum munus, ut machinas in bello ferrent. Secunda classis intra centum usque ad quinque et septuaginta millium censum instituta; et ex his, senioribus junioribusque, viginti conscriptae centuriae: arma imperata, scutum pro clipeo, et praeter loricam omnia eadem. Tertiae classis in quinquaginta millium censum esse voluit: totidem centuriae et hae, eodemque discrimine aetatium

---

verum viderit Niebuhrius, quum triginta tribuum diminutionem Porsenae victoriis adscriberet.

7) Liv. I, 42 et 43.

factae: nec de armis quidquam mutatum; ocreae tantum ademtae. In quarta classe census quinque et viginti millium, totidem centuriae factae. arma mutata, nihil praeter hastam et verutum datum. Quinta classis aucta, centuriae triginta factae: fundas lapidesque missiles hi secum gerebant. In his adcensi, cornicines tibicinesque, in tres centurias distributi. Undecim millibus haec classis censebatur. Hoc minor census reliquam multitudinem habuit. inde una centuria facta est, immunis militia. Ita pedestri exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias [8]) tribus ab Romulo institutis sub iisdem, quibus inauguratae erant, nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia aeris ex publico data; et, quibus equos alerent, viduae adtributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent. Haec omnia in dites a pauperibus inclinata onera. Deinde est honos additus. non enim (ut ab Romulo traditum ceteri servaverant reges) viritim suffragium eadem vi eodemque jure promiscue omnibus datum est: sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, et vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi; octoginta inde primae classis centuriae: ibi si variaret [9]), quod raro incidebat, ut

---

8) Sex equitum patriciorum centuriae postea adpellatae sunt „sex suffragia," vel solum: „suffragia."

9) NB. Centuriatim suffragia feruntur.

secundae classis vocarentur: nec fere umquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent."

His verbis tam plane describit Livius censum a Ser. Tullio institutum, ut magis perspicuam reddere centuriarum distributionem vix possimus. Sed ut cernas, ubi discedant Livius et Dionysius (IV, 15 sq.), e regione tabulae ejus, qua depinximus Livii sententiam, effigiem proponimus descriptionis Dionysianae.

Ordo	Centuriarum numerus	Census	Munia.
Equites patricii	6	—	equites.
Equites plebeji	12	—	equites.
I Classis	40 seniorum 40 juniorum 2 fabrum	plus 100000 aeris	galea, clipeum, ocreae, lorica, omnia ex aere, tela, hasta, gladius. fabri machinas ferebant.
II Classis	10 seniorum 10 juniorum	75000 — 100000	scutum pro clipeo; praeter loricam omnia ut cl. 1
III Classis	10 seniorum 10 juniorum	50000-75000	de armis nihil mutatum; ocreae tantum ademtae.
IV Classis	10 seniorum 10 juniorum	25000-50000	arma mutata, nihil praeter hastam et verutum datum.
V Classis	15 seniorum 15 juniorum in his accensi, cornicines tibicinesque.	11000-25000	fundas lapidesque missiles hi secum gerebant.
	1 Centuria.	minor census 11000	immunes militia.
Summa	191 centuriae		

Μοῖραι	λόχοι	τίμημα	ὅπλα.
ἱππεῖς	18 λόχοι	ἐκ τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον τίμημα καὶ κατὰ γένος ἐπιφανῶν.	
I μοῖρα.	40 πρεσβυτέρων 40 νεωτέρων	100 μναῖ	ἀσπίδες Ἀργολικαί, δόρατα, κράνη χάλκεα, θώρακες, κνῆμαι, ξίφη.
II μοῖρα.	10 πρεσβ. 10 νεωτ. 1 πρεσβ. χειροτέχναι. 1 νεωτ. χειροτέχναι.	75 - 100 μναῖ	ὥσπερ I· τοὺς δὲ θώρακας αὐτῶν ἀφεῖλε. καὶ ἀντὶ τῶν ἀσπίδων ἀνέδωκε θυρεούς.
III μοῖρα.	10 πρεσβ. 10 νεωτ.	50 - 75 μναῖ	τούτων ἐμείωσε τὸν ὁπλισμὸν καὶ ταῖς περικνημῖσι.
IV μοῖρα.	10 πρεσβ. 10 νεωτ.	25 - 50 μναῖ	θυρεοί, ξίφη, δόρατα.
	2 λόχοι σαλπιστῶν καὶ τυμπανιστῶν.		
V μοῖρα.	15 πρεσβ. 15 νεωτ.	12½ - 25 μναῖ	σαυνία, σφενδόναι.
VI μοῖρα.	1 λόχος.	τίμησις ἐλάττων 12½ μνῶν.	στρατείας τε ἀπέλυσε καὶ πάσης εἰσφορᾶς ἐποίησεν ἀτελεῖς.
	193 λόχοι.		

Collatis his duabus tabulis, perpaucas illas Livii Dionysiique discrepantias facile invenies.

I) Conveniunt Livius et Dionys. his de rebus:

1) 18 equitum centuriae numerabantur.

2) Peditum armatorum continebat

a) Prima classis	80 centurias		(40 sen. 40 jun.)
b) Secunda cl.	20	—	(10 sen. 10 jun.)
c) Tertia cl.	20	—	(10 sen. 10 jun.)
d) Quarto cl.	20	—	(10 sen. 10 jun.)
e) Quinta cl.	30	—	(15 sen. 15 jun.)

3) Censum eundem tribuunt Livius et Dionysius quatuor classibus prioribus.

4) De armatura classium mirifice concordant Livius et Dionysius.

5) Unam centuriam uterque scriptor tribuit immunibus militia.

II) Dissentiunt Livius et Dionysius his fere de rebus:

1) Minus aperte quam Dionysius dicit Livius, equitum centurias e ditissimis esse scriptas. Plana enim sunt Dionysii verba: *ἐκ τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον τίμημα καὶ κατὰ γένος ἐπιφανῶν*. Quamvis ne Livius quidem alia sensisse videatur, quum scriberet: Haec omnia in dites a pauperibus inclinata onera.

2) Et Livius et Dionysius duas tribuunt fabris centurias, sed adjungit eas Livius primae classi, Dionysius secundae.

3) Dionysius duas liticinum et tympanistarum centurias quartae adjicit classi: Livius inter quintae classis centurias numerat accensos,

cornicines tibicinesque. Neque aliud quidquam elicere possumus e verbis ejus: *In his etc.*, quam comprehensos fuisse accensorum cornicinum tibicinumque centurias triginta illis quintae classis centuriis, ut universa haud plures triginta centuriis contineret quinta classis.

4) Quintae classi censum adscribit Livius 11000—25000 aeris, Dionys. 12500—25000.

5) Immunes militiae sextam adpellat classem Dionysius contra Livii caeterorumque Romanorum consuetudinem, qua quinque tantum numerabantur classes.

§. 4.

De ciceronis loco, reip. II, 22.

Livius et Dionysius summi ac soli fere erant testes de Servii Tullii censu, priusquam celebratus ille Ciceronis locus inter reliquias librorum de republica detegeretur. Libro enim secundo ut optimam oculis lectorum proponeret rempublicam, breviter enarravit Cicero Romanorum historiam [10]. Ibi quum inde a capite 21 Servii Tullii res gestas exponeret, post lacunam in codice Vaticano duarum paginarum capite 22 ita continuat orationem suam:

— — — — — *duo de viginti censu maximo. Deinde equitum magno numero ex omni populi summa separato, relicuum populum distribuit in quinque*

10) Scipioni Aemiliano tribuit narrationem suam.

classis, senioresque a iunioribus divisit: eosque ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis sed in locupletium potestate essent: curavitque, quod semper in re publica tenendum est, ne plurimum valeant plurimi. Quae discriptio si esset ignota vobis explicaretur a me. Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum sex suffragiis[11]) *et prima classis addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIIII.*[12]) *centurias habeat: quibus ex cent. quattuor centuriis*[13]), *— tot enim reliquae sunt, — octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa: reliquaque multo major multitudo sex et nonaginta centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset; nec valeret nimis, ne esset periculosum. In quo etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens, qui cum locupletis adsiduos appellasset ab aere dando, eos qui aut non plus mille quingentum aeris, aut omnino nihil in suum censum praeter caput attulissent, proletarios nominavit; ut ex iis quasi proles, id est quasi progenies civitatis expectari videretur. Illarum autem sex et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem plures cen-*

11) Adnot. crit. A. Maji: „Ita cod. 2. manu; at 1. equitum certamine et suffragiis."

12) „Ita cod. 2. manu; at 1. tantummodo VIIII" A. Maj.

13) „Ita cod. 2. manu, at 1. manu VIIII. centurias; tot enim reliquae sunt, sine illis verbis habeat quibus ex cent. quattor centuriis" A. Maj.

sebantur, quam paene in prima classe tota. Ita nec prohibebatur quisquam iure suffragii: et is ualebat in suffragio plurimum, cujus plurimum intererat esse in optimo statu ciuitatem. Quin etiam accensis, uelatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis — — — — —

Hunc locum, quem corruptissimum judicarunt viri docti, diversissimis medelis persanare conati sunt. Sed de loci nostri emendationibus quid sit statuendum, tum demum judicare licebit, quum de codicis ipsius auctoritate convenerit. Ac primum quidem Ciceronis de republica libros ex uno tantum codice rescripto ab Angelo Majo esse publicatos, omnes sciunt. Sed nihilominus varietas quaedam lectionis adest. Maji enim exemplar ad modum antiquissimorum librorum et in versuum discriminibus et in margine emendationes suppeditat non paucas. Noli vero putare, in codice ipso antiquissimam te lectionem habere, in emendationibus autem docti cujusdam possessoris conjecturas. Nam in omnibus fere antiquissimis libris teste doctissimo harum rerum existimatore Angelo Majo emendationes leguntur, quae eadem sunt antiquitate, qua codex ipse. E variis enim antiquorum scriptorum locis morem fuisse comperimus, antequam exemplaria vulgarentur, dandi operam ut corrigerentur. Quod quia vel maximo ad nostram disquisitionem est momento, non possum quin ipsius adferam Angeli Maji verba. „Testantur, inquit [14]),

14) In praefatione ad Cic. remp. p. XXXVI (ed. Cottanae 1822).

id codicum subscriptiones *legi*, *emendavi*, *recensui*; tum ipsae emendationes minutioribus et plerumque rudioribus litteris interpositae. Cic. ad Att. XIII, 23: *libri ad Varronem non morabuntur, sunt enim defecti, ut vidisti, tantum librariorum menda tollantur*.. Grammaticos adhiberi solitos ad emendanda exemplaria, docet Gellius; idque fieri solitum collatione meliorum librorum, tradunt non semel Hieronymus, Augustinus et Cassiodorius." Haec sunt viri doctissimi verba, idemque ejusmodi emendationes in palimpsesto librorum de republica exstantes nobiscum communicat. Quamobrem vel ex ipsa harum emendationum indole colliges, meliorem plerumque lectionem non in textu, sed in margine quaerendam esse. Idque nostro quoque in libro per totam fere discrepantiam lectionis invenies. Perpaucis enim locis exceptis ubique meliorem sequitur lectionem emendator, ita ut nusquam fere in dubitationem possit vocari, librarium errore vel oculorum vel aurium deductum alia scripsisse, quam quae in libro suo invenerit. Cf. e. g. I, 11, ubi librarii „*studio*" prorsus caret sensu; sive I, 14 ubi inepte scribit „*ornatam*" pro „*tornatam*." Vel si praeclarum dormitasse aliquando librarium documentum quaeris, legas quaeso, quae scripserit I, 32: „*Hanc unam id est rite rempublicam rem populi appellari putant*." Quae nisi explicare potueris, nobiscum sequeris emendatoris signa superimposita, quibus ita transponuntur loci vocabula: *Hanc unam rite rem publicam, id est rem populi appellari putant*.

Haec e sexcentis, quae mihi exscripsi, exem-

plis sufficere videntur ad demonstrandum, majoris ubique momenti esse emendatoris manum quam librarii. Quodsi quis primae manus errores anteponere vellet secundae correctionibus, idem fere faceret, ac si quis nostra aetate errores typographicos ut antiquiores praeferret lectioni emendatae, quam praebet index mendorum typographicorum ad finem libro adjectus. Quae si ad nostrum confers locum, eo facilius persuadebo tibi, ut emendatam sequaris lectionem, si, quid in errorem deduxerit librarium, demonstravero. Ita enim scribit emendator:

Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum sex suffragiis et prima classis, addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIIII centurias habeat: quibus ex cent. quattor centuriis, tot enim reliquae sunt, octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa.

Prima autem manus haec scripsit:

Nunc rationem videtis esse talem. ut equitum certamine et suffragiis, et prima classis, addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data VIIII[15]*) centurias, tot enim reliquae sunt, octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa,*

---

15) De diversitate hujus numeri haud multis opus est verbis. Nam si concesseris, librarium nostro in loco dormitasse, ejusque lectionem ab emendatore e bono libro esse correctam, hunc quoque numerum lapsu ocu-

Omissa sunt verba: *habeat quibus ex cent. quattor centuriis*, i. e. verba ea, quae sequuntur vocabulum *centurias*. Quum vero verba omissa et ipsa exeant in vocem: *centuriis*, nihil facilius accidere potuit, quam ut librarius deceptus *centuriarum* vocabulo ad primas statim *centurias* ea adjungeret, quae secundis adjicienda erant.

Itaque nostro in loco rem ita se habere videmus, ut error librarii haud dubius ab emendatore e libro antiquo sit correctus. Sed, dicat quispiam, unde tu scis, ex libro emendavisse secundam manum nostro in loco? Huic respondemus: Quum vel e tota harum emendationum natura apparere videatur, sex vocabula continua ab emendatore non esse ex ingenio intercalata, tum vero inde colligimus, nostro in loco e libro emendasse secundam manum, quia et emendata lectio tantum abest ut perspicuum praebeat sensum, ut acutissimi viri corruptum esse ac medela indigentem locum nostrum judicarint. Sed ut omnem amoveremus dubitationem, demonstravimus, quomodo fefellerit librarii oculos ille liber, quem descripsit. *Centuriarum* enim vocabulum, in fine duorum versuum continuorum iteratum, deduxit librarium, ut versum unum praeteriret. Atque hunc versum e codice illo vetustiore addidit emendator.

Quodsi e libro emendatum esse locum nostrum

---

lorum irrepsisse facile mihi assenties, idemque illud „certamine et," quod omni caret sensu, cum lectione secundae manus libenter mutabis.

satis probavimus, lectio nostra desumta est e codice venerabilis antiquitatis. Nam quum eum, e quo edidit Ciceronis libros de republica, codicem ante annum post Ch. n. 476 scriptum esse censeat Angeius Majus, ille liber, e quo profluxit codex Vaticanus, ad florentem etiamtum imperii statum pertinuisse videtur. Quamobrem, licet antiquissimis quoque in libris menda non defuisse, discamus a Cicerone, tamen lectio nostra, quae haud ita longo temporis intervallo a Ciceronis ipsius aetate distet, reverentia quadam digna est.

Itaque priusquam ad conjecturas perfugiamus, videndum est, num genuina codicis lectio idoneum praebeat sensum. Sed ante omnia monendi sunt lectores, ut postpositis omnibus, quae de censu Tulliano aliunde cognita habeant, primo nostrum tantum ingenio sequantur scriptorem. Deinde quomodo ea, quae dicit Cicero, cum narrationibus Livii ac Dionysii sint socianda, eo facilius intelligemus.

Scipio, — hic enim loquitur in secundo reipublicae libro, — postquam haud ignotam esse amicis suis centuriarum descriptionem affirmavit, id tantum demonstrare instituit, quanta sapientia effecerit Servius Tullius, ut in locupletium potestate essent suffragia. Quae descriptio, inquit,[1] si esset ignota vobis explicaretur a me.

Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum sex suffragiis et prima classis, addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIIII centurias ha-

beat[16]. Quibus ex centum quatuor centuriis, (tot enim reliquae sunt), octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa. Reliquaque multo major multitudo sex et nonaginta centuriarum etc.

Haec omnia, quod attinet ad sensum grammaticum, per se plana ita fere nostro sermone reddi possunt:

Nun seht ihr ist die Einrichtung so, dafs die Centurien der Reiter[17] nebst den sechs Suffragien[18] und die erste Classe mit Hinzufügung der (einen) Centurie, welche zum gröfsten Nutzen der Stadt den Zimmerleuten gegeben wurde, 89 Centurien ausmachen. Wenn nun diesen aus den 104 Centurien, — denn so viele sind noch übrig, — nur noch 8 beitraten, so bildeten sie die ganze Macht des Volkes; und die übrige an Zahl[19] weit überlegene Menge der 96 Centurien u. s. w.

Nunc calculum ita subducamus, ut primum omnia conquiramus, quae plana sunt, atque inde ad obscuriora pervenire studeamus. Primum igitur e nostro loco apparet, Ciceronem 89 + 104, i. e. 193 centurias numerasse. Deinde illud negari nullo modo potest, Ciceronem primae classi cum tigna-

16) Vel si mavis cum Niebuhrio legas „habeant“ secundum praeceptum Zumptii §. 373. Sensus idem manet.

17) Equitum centuriae = 12 equitum plebejorum centuriae. Cf. §. 3.

18) Sex suffragia = sex equitum patriciorum centuriae. Cf. §. 3.

19) i. e. singulorum virorum numero.

riorum centuria equitibusque universis centurias tribuisse 89. Haec memoria tenentes caeteros quoque loci nostri numeros explicare possumus. Nam si 193 centuriis subtrahis 89, remanent 104, et si e 104 illis centuriis remanentibus octo solae accesserunt octoginta novem centuriis primae classis equitumque, effecerunt centurias 8+89=97. Sin vero octo illas centurias, quae e 104 centuriis transierunt ad 89 primae classis, detrahis 104 centuriis caeterarum classium, remanentes habes centurias 96. Atque haec est, quam Cicero dicit reliquam multitudinem sex et nonaginta centuriarum. Postquam accesserunt primae classi octo illae centuriae, omnes cives hunc in modum sunt distributi. Altera in parte numerantur:

1) Prima classis cum tignariis et equitibus	89
2) Octo centuriae e caeteris classibus	8
Summa	97
Alteram partem efficiunt centuriae	104
e quibus transierunt ad primam cl.	—8
rest.	96

Quum vero 97 centuriae uno suffragio plus valeant quam 96, intelliges, cur Cicero eas universam populi vim confecisse dicat.

Haec omnia tam plana sunt, ut vix verear, ne quis mihi repugnet. Sed nunc ad paullo obscuriora accedamus. Nam qua tandem ratione 89 illas centurias e prima classe universoque equitatu efficit Cicero?

Nam universum equitatum illo numero conti-

neri praeter ea, quae versioni nostrae adjunximus, id quoque documento est, quod aliter inter 96 illas centurias minus opulentas numerarentur equites, quos „*censu maximo*" conscripsit Servius. Quamobrem, tamquam nihil cognitum habeamus de censu Tulliano praeter haec a Cicerone tradita, disquiramus, quot centurias primae classi tribuerit Cicero. Ac primum quidem detrahenda est 89 illis centuriis una tignariorum, ita ut remaneant centuriae 88. Quodsi a Cicerone ipso comperimus, equitum centurias scripsisse Servium duodeviginti, detractis his decem et octo equitum centuriis remanentes habemus primae classis centurias 70. Nam 88—18 =70. Itaque nisi demonstrationem nostram refelles, Ciceronem primae civium classi non ut Livium et Dionysium centurias octoginta, sed septuaginta tantum tribuere, concedendum est.

Nam licet in caeteris loci nostri vocabulis aequo animo concedamus aliquid grammaticorum conjecturis [20]), hoc tamen, quod summum est in capite nostro, negari non potest, numeros esse genuinos. Etenim inter omnia, quae unquam facta esse feruntur miracula, longe maximum illud esset, si quinque computationis [21]) numeri (89. 104. 8. 96. 97) lapsu librariorum ita corrumperentur, ut cor-

---

20) Cf. e. g. Niebuhrii illud „habeant" pro „habeat."

21) NB. ejus computationis, qua non consummentur simpliciter numeri, sed partim addantur, partim subtrahantur (sit venia verbis!), et quod detractum sit alteri parti, alteri adjiciatur etc.

rupti quoque inter se convenirent. Numeri igitur loci nostri, quos mirifice inter se convenire vidimus, quum corrupti esse nequaquam possint, Niebuhrii emendationes, quibus aliunde nota nostrum quoque in locum intrudere voluit vir doctissimus, per se cadunt [22]).

Et si numeri loci nostri sunt genuini, etiam illud concedendum est, tributas esse a Cicerone primae classi peditum centurias 70. Livius igitur et Dionysius octoginta peditum centurias adscribentes primae classi Ciceroni distincte contradicunt. Quamobrem quum aut septuaginta centurias tributas esse a Servio Tullio primae classi, necesse sit, aut octoginta, fieri non potest, quin alterutrum sit falsum. Itaque haec una superest quaestio, uter erraverit, Cicero an Livius.

Cicero et Livius si de institutis Romanis diversa narrant, hanc sequimur dijudicandi regulam: Ubi de iis, quae Ciceronis aetate viguerunt, institutis sermo est, sine ulla dubitatione major vis tribuenda est Ciceronis auctoritati quam Livii. Nam Ciceronem de suorum temporum institutis errasse, nemo certe crediderit. Sin vero de antiquis Romanorum rebus loquitur Cicero, tum non virum consularem audimus, sed vetustarum rerum perscrutatorem. Antiquitatis autem investigatio quum Livii magis fuerit ac Dionysii quam Ciceronis, iis in rebus, quae ad antiquum reipublicae statum pertinent, conjunctis Livii Dionysiique testimoniis plus

22) Cf. excursum nostrum de Niebuhrii emendationibus.

tribuimus quam Ciceroni. Huc accedit, quod Livius haud dubie cognitos habuit Ciceronis de republica libros ideoque non sine caussa a Cicerone discessisse ducendus est [23]). Sed videamus, num forte reperire possimus, quid in errorem deduxerit Ciceronem.

§. 5.

De mutato centuriarum ordine.

Eum centuriarum ordinem, quem instituit Servius Tullius, sequenti tempore esse mutatum certo scimus: qualis vero fuerit illa centuriarum mutatio, id mirum quantum disputatum est inter viros doctos. Etenim ille Livii locus, quo non describit, sed attingit potius centuriarum mutationem, inter difficillimos totius antiquitatis numeratur. Nec mirum. Nam Livius quum eos sibi proposuerit lectores, qui instituta Romana, qualia ipsius aetate essent, cognita haberent, accurata ejus ordinis, qui tunc erat, descriptione nequaquam opus esse putavit. Qua de caussa satis esse duxit, si proposito Servii Tullii censu admoneret legentes, ne eum ordinem, qui tunc valeret, cum immutato Servii Tullii censu confunderent. Sed eum centuriarum ordinem, qui labente re publica Romana Augustoque imperatore valeret, quum omnes notum haberent ipsique possent instituere comparationem, Livius nihil aliud quam significat, ubi maxime quaerendum sit inter utrumque censendi ordinem discrimen. Quod quum

23) Cf. §. 6.

ita sit, haud mirandum, nobis, qui centuriarum ordinem Livii aetate valentem ignoremus, difficillimam videri Livii breviloquentiam. Haec enim sunt Livii verba:

Non enim (ut ab Romulo traditum caeteri servaverant reges) viritim suffragium eadem vi eodemque jure promiscue omnibus datum est: sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, et vis omnis penes primores civitatis esset. *Equites enim vocabantur primi; octoginta inde primae classis centuriae: ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur: nec fere umquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent. Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum seniorumque, ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire.*

In explicando hoc loco quum valde dissentiant interpretes, de illo uno conveniunt, difficillimum eum esse judicantes. Sigonius enim, vir sagacissimus, duplicatum esse putavit centuriarum numerum. Id vero elicere e Livii verbis nullo pacto possumus. Quo enim referendum esset illud „*earum*"? Quamobrem iis adsentimur, qui ad vocabulum „*earum*" supplent „*tribuum*." Nam quum in fine capitis nostri affirmet Livius: „*Neque hae tribus* (i. e. quatuor Servii), *ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere*," quinque et triginta tribus pertinuisse quodammodo ad centuriarum di-

stributionem apparet. Nostra igitur lingua hunc fere in modum reddimus Livii verba:

Man mufs sich nicht wundern, dafs die Ordnung, welche jetzt ist, nach Vollzähligmachung der 35 Tribus, indem man ihre (i. e. tribuum) Zahl doppelt nahm für die Centurien der Jüngeren und die der Aelteren, zu der von Servius Tullius eingerichteten Zählung nicht stimmt.

Alium in modum interpretari locum nostrum grammatica vetamur. Neque quod ad grammaticum pertinet sensum difficilia sunt Livii verba. Sed quid sibi voluerit his verbis, id est, de quo disputent viri docti. Sunt enim, qui in universum duplicem datum esse centuriis numerum quam triginta quinque tribubus opinentur, ut sublata classium distributione omnino septuaginta essent centuriae. Sed hoc quamquam Livii verbis inesse potest, tamen claris aliorum scriptorum eorumque fide dignissimorum testimoniis refutatur. Cf. e. g. Ciceronis Phil. II, 33. Ibi quum duas Cicero commemoret classes, vir quidam doctus duas in universum relictas esse civium classes putavit post mutatum centuriarum ordinem. Atque hanc in sententiam discessit Niebuhrius. Cujus viri judicia quum jure maximi aestimentur, aliquantulo copiosius explicanda est ejus de mutato centuriarum ordine sententia. Primum igitur praemittendum est, Niebuhrium quoque putare, ex universa civium multitudine, exceptis equitibus, septuaginta tantum centurias factas esse, ut quaevis triginta quinque tribuum e binis composita esset centuriis, altera se-

niorum, altera juniorum. Quarum centuriarum quum secundum tribuum divisionem sexaginta duae (2×31) ad 31 rusticas pertinerent tribus, octo (2×4) autem ad quatuor urbanas, has partes Ciceronis aetate *classium* nomine esse adpellatas arbitratur Niebuhrius, et ita quidem ut rusticae primam efficerent classem, urbanae secundam. Totam Niebuhrii sententiam in hac habes tabula depictam:

		Cent.	Summae
I.	Prima classis 62 centuriarum ex 31 tribubus rusticis (31 seniorum, 31 juniorum), cum 12 centuriis equitum plebejorum.	74	80
	Sex suffragia equitum patriciorum.	6	
II.	Secunda classis 8 centuriarum e 4 tribubus urbanis (4 sen., 4 jun.)	8	8
	Summa Summarum		88

Haec Niebuhrii sententia, quamvis acuta, tam apertis tamen repugnat *aequalium* testimoniis, ut valde mirer, Niebuhrium ipsum huic maxime sententiae multum tribuisse. Sed quamquam invento suo haud parum laetatus esse videtur Niebuhrius, tamen ne ipse quidem omni liberare dubitatione animum suum potuit.

Etenim postquam exposuit sententiam suam Niebuhrius, quo erat candore animi, eos quoque adjicit scriptorum antiquorum locos, qui sententiae

suae repugnent. Inter quos primum haud dubie locum obtinet Dionysius Halicarnassensis, qui antiquitates Romanas Augusto imperatore descripsit. Hic enim postquam accurate prosecutus est institutum ab Ser. Tullio ordinem centuriarum, quas constanter *λόχους* adpellat, haec adjicit [24]):

Οὗτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεὰς φυλαττόμενος ὑπὸ Ῥωμαίων. ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κεκίνηται χρόνοις καὶ μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον, ἀνάγκαις τισὶ βιασθεὶς ἰσχυραῖς, οὐ τῶν λόχων καταλυθέντων, ἀλλὰ τῆς κρίσεως αὐτῶν οὐκ ἔτι τὴν ἀρχαίαν ἀκρίβειαν φυλαττούσης, ὡς ἔγνων ταῖς ἀρχαιρεσίαις αὐτῶν πολλάκις παρών.

Itaque Dionysius, qui per annos viginti duos Romae commoratus sermonemque et litteras Romanorum assecutus totum illud tempus eo impendit, ut compararet operis sui materiam [25]), *saepe*, dicit, *comitiis Romanorum interfui, ibique vidi, non quidem sublatas esse centurias, sed jam non ex antiquo*

24) IV, 21. p. 225 ed. Sylb. 1691.

25) *Ἐγὼ καταπλεύσας εἰς Ἰταλίαν, ἅμα τῷ καταλυθῆναι τὸν ἐμφύλιον πόλεμον ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος, — — καὶ τὸν ἐξ ἐκείνου χρόνον ἐτῶν δύο καὶ εἴκοσι μέχρι τοῦ παρόντος γενόμενον ἐν Ῥώμῃ διατρίψας, διάλεκτόν τε τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐκμαθὼν καὶ γραμμάτων ἐπιχωρίων λαβὼν ἐπιστήμην, ἐν παντὶ τούτῳ χρόνῳ τὰ συντείνοντα πρὸς τὴν ὑπόθεσιν ταύτην διετέλουν πραγματευόμενος.* p. 6 ed. Sylb. 1691.

vocari ordine. Dionysius igitur ad suam aetatem pervenisse centurias Servianas testatur idque se suis oculis vidisse. Nam significari a Dionysio τοῖς λόχοις τοῖς οὐ καταλυθεῖσι centurias 193 Servianas, ne ipse quidem Niebuhrius infitias it. Quid vero opponit vir doctissimus Dionysii auctoritati? Evolvas quaeso historiae Romanae vol. III. p. 402:

„Die Stelle des Dionysius widerspricht meiner Hypothese nicht mehr als jeder, welche die ausdrücklichen Zeugnisse und Erwähnungen aus dem sechsten und siebenten Jahrhundert über das Hervortreten der Tribus in den Centuriatcomitien zu erklären sucht; denn nach ihr hätte die Veränderung, die doch nur die Ordnung des Stimmens der Centurien betroffen habe, erst unter Cäsar und August eintreten können; bis dahin wäre alles unverändert geblieben. Wer also nun nicht jene Stellen alle geradehin auf die unbegreiflichste Weise aufzugeben sich entschliefst, der mufs, wenn er auch meine Hypothese nicht billigt, doch ebenfalls anerkennen, dafs Dionysius hier [26]) kein Gehör verdient. Wie er bei den Wahlen oft Zuschauer seyn und doch so ungeheuer irren konnte (!), bleibt freilich unbegreiflich (sane!); aber wer will die Grenze seines Irrthums sezen, dessen Daseyn im Allgemeinen Niemand leugnen kann?“

Ad hanc Niebuhrii argumentationem redarguendam satis fere est admonuisse lectores, ut denuo legant Dionysii verba. Invenient enim, Dionysii

---

26) Aut hic aut nusquam!

loco exhiberi testimonium duplex, alterum de tempore mutationis, alterum de ipso illo ordine, quem suis oculis vidit Dionysius. Et primum ad tempus quod attinet, ne id quidem constat, Dionysium verbis illis ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κεκίνηται χρόνοις καὶ μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον id dicere, Caji Julii Caesaris vel Augusti temporibus mutatum esse centuriarum ordinem. Nam quum non aoristis sed perfectis temporibus utatur Dionysius (κεκίνηται, μεταβέβληται), hunc quoque in modum interpretari licet Dionysii verba: *Nostris autem temporibus variatum habemus et in magis plebejam speciem redactum centuriarum ordinem.* Sed haec omnia nihil ad rem nostram. Nam fac errasse Dionysium de tempore. Non recuso: quum praesertim ne Livio quidem de tempore mutationis satis constitisse videatur. Sed quid inde? Num qui de tempore mutationis erravit, is ea quoque nesciat necesse est, quae suis oculis vidit, suis inquam oculis, et quidem non semel sed saepe vidit? Quae si cui non satis plana esse videantur, hac ratione rem sibi explicet. Dionysius ex antiquarum historiarum auctoribus, quos perlustravit haud paucos [27]), veram centuriarum Servianarum (τῶν λόχων) indolem perspectam habuit, id quod descriptione census ab Ser. Tullio instituti satis demonstravit. Harum igitur centuriarum numerum atque classes haud ignorabat, sed, quotiescunque ipse comitiis centuriatis interesset, alio ordine vocari centurias (τοὺς λό-

---

27) Cf. prooemium antiquitatum Romanarum.

χους) animadvertit, quam quem ex historiarum auctoribus, compertum haberet. Quid? haec non potuit observare Dionysius ac nihilominus in errore versari de tempore ejus mutationis, quam factam esse e comparatione scriptorum antiquorum cum ipsis suae aetatis comitiis cognovit? An qui certissime scit, argentum positum esse in arca sua, si post aliquot menses arca patefacta nihil invenit, id quoque cognitum habeat necesse est, quo tempore e cista subreptum sit argentum illud? Hunc vero in modum argumentatur Niebuhrius. De tempore, inquit, mutationis errasse Dionysium, quis dubitat? Ergo ne ea quidem credenda sunt, quae de suorum temporum comitiis narrat, quibus ipse saepe interfuit.

Si de iis rebus loquuntur scriptores, quas longa annorum serie obscuratas alius ab alio acceperint auctore, haud dubie probanda est Niebuhrii ratio, qua ex ipsa rerum natura demonstrare conatur, scriptores suorum temporum institutis deceptos ne ipsos quidem satis intellexisse, quae e fontibus suis describerent. Ubi vero expromunt res per se nequaquam incredibiles, quas suis se oculis vidisse ac saepius vidisse affirmant, ibi aut fides est habenda scriptoribus, aut tradenda universa antiquitas in mare Creticum portare ventis. Nisi forte non describendas esse historias putamus sed fingendas. Ac tantum abest, ut caeteri scriptores adversentur Dionysio, ut certum habeamus testimonium permansisse etiam mutato centuriarum ordine quinque classium divisionem. Etenim in secunda earum,

quae Sallustii nomen ferunt, epistolarum, haec legimus [28]):

Sed de magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quàm C. Gracchus in tribunatu promulgaverat, ut ex confusis quinque classibus sorte centuriae vocarentur.

At vero supposititia est epistola illa. Sane. Sed Niebuhrius ipse recentiorem esse Marci Aurelii temporibus epistolam illam negat [29]). Itaque, ut aliquanto plus concedamus, quam quod postulatur, ad Dionis Cassii aetatem epistolam illam conferamus. Cassii autem temporibus leges Sempronias in multis exstitisse libris, quis est, qui neget? Itaque non id disputatur, num credendum sit scriptori secundi post Ch. n. saeculi (ut ajunt), de reipublicae Romanae institutis verba facienti, sed ea est quaestio, num Cassii Dionis aequalis legem Semproniam finxisse sit putandus. Et quidem Niebuhrius, qui epistolae illius pseudosallustianae autorem „*falsarium*" adpellat, ita fere argumentari videtur: „Qui semel est mentitus, ei numquam fidem habeo. Atqui mentitus est epistolae illius auctor, Sallustii nomen assumens. Ergo ea quoque sunt falsa, quae de lege Sempronia affert [30])."

---

28) de rep. ord. II, 8.

29) III, 401.

30) „An sich würde jener Falsarius mit der Erwähnung der Klassen nicht mehr Beachtung verdienen, als das angebliche Gesetz des C. Gracchus; wenn es damit überhaupt einigen Grund hat etc." III, 403.

Sed claudicat haec argumentatio. Nam ut „*falsarii*“ nomen cum Niebuhrio imponamus epistolae illius auctori, tamen ita magis concludendum erat: Si quis ea aetate, qua vera Gracchorum historia a quovis homine erudito cognosci potuit, Sallustio suppositurus erat epistolam fictam, summa ope niti debuit, ut notissima saltem a vera historia mutuaretur. Atqui leges Semproniae Cassii aetate haud dubie reliquae erant. Ergo auctorem epistolae pseudosallustianae legem, quam laudat, Semproniam ementitum esse credi non potest. Eamque ob caussam non quidem epistolae Sallustianae auctorem, sed legem Semproniam ab eo laudatam pro certo habemus documento, permansisse etiam post mutatum centuriarum ordinem quinque classium divisionem. Quod quum ita sit, reprobanda est Niebuhrii sententia de duabus civium classibus, quae, ne uno[31]) quidem scriptoris antiqui testimonio confirmata, et oculis Dionysii et legi Semproniae repugnet.

Aliud igitur quidpiam a Livio significatum esse verbis illis, haud dubium. Qua de caussa eum elicuerunt e Livii verbis sensum viri docti, (— neque grammatica obstat), — ut cuivis quinque classium tributas esse 35 juniorum totidemque seniorum centurias, dicat scriptor noster. Quam sententiam quum primus, quantum equidem sciam, publicave-

31) Nam unus solus ille locus (Phil. 2, 33), quo duae commemorantur classes, tantum abest ut fulciat Niebuhrii sententiam, ut apertissimum contra eam praebeat testimonium. (Cf. adnot. nostrarum 61.)

rit Antonius Augustinus, a recentioribus quoque nonnullis historiarum scriptoribus comprobata est. Quum vero falsa quaedam de equitum centuriis admiscuerit sententiae suae Antonius Augustinus, eos, qui legere cupiunt ipsam viri doctissimi argumentationem, ad Drakenborchii opus Livianum [32]) delegamus. Ipsi autem explicationem Walteri examinabimus, quam remotis Antonii erroribus apertis proposuit vir doctissimus I, p. 135 sq.

„In der Einrichtung der Centuriatcomitien giengen aber mittlerweile grofse Aenderungen vor. Die Eintheilung in fünf Vermögensklassen dauerte fort, aber die Mitglieder jeder Klasse wurden zum Abstimmen nach den Tribus aufgerufen, so dafs die Aelteren einer Klasse in jeder Tribus und ebenso die Jüngeren eine Centurie bildeten. Von der Zeit an, wo es fünfunddreifsig Tribus gab, kamen also auf jede Klasse siebenzig Centurien, und die Reichen hatten kein Uebergewicht mehr, ausser dafs die erste Klasse vor den andern stimmte und dafs die Centurie, die den Anfang machte, durchs Loos blos aus ihr gezogen wurde. Nach einem Sempronischen Gesetz des C. Gracchus würde auch dieses aufgehört haben, wenn es zur Ausführung gekommen wäre. Doch wurde in den letzten Zeiten der Republik bei dem Aufrufen der Centurien nicht mehr die alte genaue Ordnung beobachtet. Jene Abänderung der Verfassung des Servius ist wahrscheinlich schon durch die zwölf Tafeln

32) vel potius „Livium“ Cf. legem „Liviam.“

eingeführt worden, als diese die Tribus zu einer Eintheilung des ganzen Volkes machten. Doch mag daran noch manches verbessert worden seyn.

In tabula sequenti accuratam habes explicationis Walterianae descriptionem, ut quantus fuerit cuivis classi centuriarum numerus, discernas.

		Summa	Adnotata
	12 equitum pleb. centuriae.		
I.	35 seniorum. 35 juniorum.	88	
	6 equitum patr. suffragia.		158
II.	35 sen. 35 jun.	70	
III.	35 sen. 35 jun.	70	
IV.	35 sen. 35 jun.	70	210
V.	35 sen. 35 jun.	70	
	Summa omnium	368	

Hunc immensum 368 centuriarum numerum si cum 193 centuriis, quas Dionysius tribuit censui Tulliano, comparas, talem tantam centuriarum mutationem Dionysii verbis supra laudatis significari

vix crediderís. Sed ubi certi loquuntur testes, sileant probabilia. Praeclarus enim de comitiis centuriatis posteriorum temporum locus in Ciceronis Philippicis exstat (II, 32. 33). Hunc locum, quum haud ita facilis nobis videatur, totum exhibebimus adnotationibus nostris instructum.

Cic. Phil. II, 32.

Caesari ex Hispania redeunti [33]) obviam longissime processisti [34]). celeriter isti, redisti, ut cognosceret etsi minus fortem, attamen strenuum. Factus es ei rursus, nescio quomodo, familiaris. Habebat hoc omnino Caesar; quem plane perditum aere alieno egentemque, si eundem nequam hominem audacemque cognorat, hunc in familiaritatem libentissime recipiebat. His igitur rebus praeclare commendatus, iussus es renuntiari consul, et quidem cum ipso. Nihil queror de Dolabella, qui tum est impulsus, inductus, elusus [35]). Qua in re quanto fuerit utriusque vestrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? Ille induxit, ut peteret: promissum et receptum intervertit, ad seque transtulit: tu ejus perfidiae voluntatem tuam adscripsisti. Ve-

---

33) Post devictos apud Mundam Cn. Pompeji filios anno ante Ch. n. 45.

34) In Antonium dirigit orationem suam Cicero.

35) Caesar Dolabellam, cujus auxilio Cn. et Sextum Pompejos in Hispania devicerat, induxerat, ut consulatum peteret. Deinde autem, quum instigante Antonio ad se ipsum transtulisset consulatum collegamque sibi adscivisset Antonium, Dolabellam elusit.

niunt Kalendae Januariae [36]): cogimur in senatum: invectus est copiosius multo in istum et paratius Dolabella, quam nunc ego. hic [37]) autem iratus [38]) quae dixit, dii boni? Primum quum Caesar ostendisset, se priusquam proficisceretur [39]) Dolabellam consulem esse jussurum [40]) (quem negant regem, qui et faceret semper ejusmodi aliquid et diceret [41]), sed cum Caesar ita dixisset, tum hic bonus augur, eo se sacerdotio praeditum esse dixit, ut comitia auspiciis vel impedire, vel vitiare [42]) posset, idque se facturum esse asseveravit. In quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. Quid

---

36) Anni ante Ch. n. 44.

37) hic, Antonius.

38) iratus, nisi iratus fuisset Antonius, non tam imprudenter praedixisset, quid esset facturus.

39) proficisceretur, in bellum contra Parthos et Scythas, quod parabat D. Julius, quum conjuratorum manibus occisus est.

40) Caesar in bellum profecturus consulatu se abdicare voluit atque in locum suum sufficere Dolabellam, ut collegae fierent Dolabella et Antonius.

41) Ex his locis, qua ratione reipublicae instituta tractarit D. Julius, comperimus. Nequaquam abrogavit populo creandi potestatem. Nam quamquam consul esse jussus erat Dolabella, tamen (cap. 33) justis creatur comitiis. Sed centurias illis temporibus omnia sanxisse, quae Caesari placerent, per se patet. Inde novum, si diis placet, argumentum contra Niebuhrii opinionem desumemus.

42) vel prorsus impedire comitia habenda, vel habita reprobare.

enim? istuc, quod te sacerdotii jure facere posse dixisti, si augur non esses, et consul esses, minus facere potuisses? Vide ne etiam facilius, nos enim nuntiationem solam habemus: consules et reliqui magistratus etiam spectionem [43]. Esto: hoc imperite, nec enim est ab homine numquam sobrio postulanda prudentia; sed videte impudentiam. Multis [44] ante mensibus in senatu dixit, se Dolabellae comitia aut prohibiturum auspiciis, aut id facturum esse, quod fecit [45]. Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de coelo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges, et, si quis servavit, non habitis comitiis, sed priusquam habeantur, debet nuntiare [46]. Ve-

43) Inscitiam tantum Antonii his verbis sugillat Cicero, non mores atque consilia. Antonius enim quum et augur esset et consul, non auguris potestate se usurum esse contra Dolabellae comitia dicere debebat, sed consulis. Nam consules, qui non solum nuntiationem ut augures sed etiam spectionem habebant, vitiare actus publicos facilius potuerunt quam augures.

44) Multis; paullo exaggeratius dictum a Cicerone. Nam quum verba illa jactarit Antonius Kal. Jan. anni 44 et Dolabellae comitia habita sint ante caedem J. Caesaris, i. e. ante Idus Martias ejusdem anni, (ipsis enim Idibus Martiis de ementitis Antonii auspiciis Caesar erat acturus Phil. II, 35), multi illi menses plures duobus esse non possunt. Caeterum ad Ciceronis sententiam haec nullius sunt momenti.

45) id facturum esse, quod fecit, i. e. habita comitia vitiaturum esse.

46) Haec si probe intellexi, mirificum praebent religionis

rum implicata inscitia impudentia est, nec scit, quod augurem, nec facit, quod pudentem decet. (Atque ex illo die recordamini ejus usque ad Idus Martias consulatum. Quis umquam apparitor tam humilis, tam abjectus? nihil ipse poterat, omnia rogabat; caput in aversam lecticam inferens, beneficia, quae venderet, a collega petebat.) [47]

33 *Ecce*[48] *Dolabellae comitiorum dies: sortitio praerogativae: quiescit. — renunciatur*[49]*: tacet. — prima classis*[50] *vocatur: renunciatur*[51]*. — deinde, ut assolet, suffragia*[52]*. — tum secunda classis. — quae omnia citius sunt facta, quam dixi. Confecto negotio bonus augur (Laelium diceres), „Alio die,"*

Romanae exemplum. De coelo servare comitiis per leges non licuit. Si quis vero nihilominus de coelo servavit, non vanae judicabantur observationes ejus, licet contra legem essent factae; sed quamvis illegitimae essent, tamen respiciebantur. Illud unum erat constitutum, ut non habitis comitiis, sed priusquam haberentur, nuntiarentur observata.

47) Haec verba, quibus Cicero narrationem suam de scelerata Antonii vita continuat, quum nihil referant ad rem nostram, praetermittimus.

48) Hic initium capit praeclara comitiorum centuriatorum descriptio.

49) renunciatur, quae centuria sortita sit praerogativam.

50) Duodecim equitum plebejorum centurias adnumerari a Cicerone primae classi, cum Niebuhrio (III, 399) statuimus.

51) i. e. eventus suffragiorum.

52) suffragia = sex equitum patriciorum suffragia. Niebuhr.

inquit. O impudentiam singularem! Quid videras? Quid senseras? quid audieras? etc.

His Ciceronis verbis nihil adjiciendum est, nisi brevis suffragiorum Romanorum explicatio 53). Si quis enim illud suffragiorum genus, quo nostra aetate utuntur, ad Romana transferret comitia, mirum quantum erraret. In comitiis Britannicis, quibus legati 54) ad summum in republica concilium creantur, omnes cives, quorum hoc jus est, nomina dant, neque finitur comitium, donec ad unum omnes suffragium inierint; tametsi jam multo prius unus e competitoribus majorem universorum punctorum partem tulerit. Sint e. g. in regione quadam Britannica 1000 cives suffragii jure praediti. Quorum quum 501 in alterum duorum competitorum suffragia sua contulerunt, revera res est confecta. Nam reliqua 499 suffragia, ut omnia ab altero ferantur candidato, tamen nihil efficiunt. Sed nihilominus

53) Neque vero hic loci demonstraturi sumus, quantum intersit, num tributim, an centuriatim, an viritim suffragia ferantur.

54) Parlamentsmitglieder. Caeterum nos secundum suffragiorum Britannicorum genus (the poll) comparamus cum more Romano, iidemque, ut planius ostendamus utrorumque comitiorum naturam, omnia praetermittimus, quae ad rem nostram nihil pertinent. Quamobrem, et velle et posse omnes regionis cujusdam Britannicae cives suffragia ferre, sumimus. Quod quum raro eveniat, Britanni quoque certa quadam hora finire suffragia natura rerum coguntur, licet unus et alter sive negotiis sive morbo impeditus suffragium nondum inierit.

continuantur comitia, fierique potest, ut alter competitorum 999 ferat suffragia, alter unum. Unde evenit, ut in ephemeridibus nostris interdum legamus, hunc vel illum *multo*[55]) majorem suffragiorum partem tulisse. Quin etiam victi competitores, eundem fere civium numerum sibi adfuisse quam adversariis, gloriantur, si paucis tantum suffragiis superati sunt.

Haec omnia diversissima erant apud Romanos. Ibi enim simulatque plura suffragia, quam quae supererant, candidatus tulit, confectum erat negotium, caeterique cives ad suffragium non admittebantur. Hanc decernendi rationem praeclare describit Livius I, 43. Dionysius autem in eadem versans materia tam dilucide exponit illum decernendi morem, ut non possim, quin verba ejus adjiciam; praesertim quum ab interpretibus quibusdam non satis esse intellectum Dionysium videam. Dicit enim (VII, 59)[56]) de comitiis centuriatis antiqui ordinis verba faciens:

Εἰ μὲν οὖν ἐπὶ τῶν πρώτων λόχων, οὓς οἵ τε ἱππεῖς ἐξεπλήρουν, καὶ τῶν πεζῶν οἱ τὴν πρώτην τάξιν ἐν τῷ πολέμῳ λαμβάνοντες, τὸ αὐτὸ φρονήσαιεν[57]) *ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα λόχοι, τέλος εἶχεν ἡ*

---

55) Bedeutende Majorität. Multo saepius tale quid legeremus, si omnes competitores secundum suffragiorum genus (the poll) postularent.

56) Cf. IV, p. 224 ed. Sylb. 1691.

57) Sylburgii emendationes ad h. l. ineptae sunt. *Ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα*, inquit, reperitur etiam v. 6. sed

ψηφηφορία, καὶ οὐκέτι τοῖς λοιποῖς ἓξ καὶ ἐννενήκοντα λόχοις ἀνεδίδοτο ἡ ψῆφος· εἰ δὲ μὴ τοῦτο γένοιτο, δευτέρα συμμορία τῶν δύο καὶ εἴκοσι λόχων ἐκαλεῖτο, καὶ ἡ τρίτη· καὶ τοῦτο συνέβαινεν, ἕως οὗ τὸ αὐτὸ φρονήσωσιν ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα λόχοι.

Ad morem illum finiendi suffragia, quum primum unius partis suffragia dimidium omnium centuriarum superabant, respicientes Ciceronis locum [58]) probe intelligemus. Postquam secundae classis suffragia lata sunt, *confectum erat negotium* [59]), finitisque [60]) comitiis Antonius intercessit.

---

verior scriptura est ὀκτὼ καὶ ἐννενήκοντα, ut sequitur v. 16 et colligitur ex p. 447, v. 22 ubi primae classi tribuit octoginta centurias peditum et octodecim equitum (ut supra quoque p. 213, v. 38), quae summa est centuriarum 98 quare Lapus etiam vertit octo et nonaginta ordines. Hactenus Sylburgius. Sed errat vir doctissimus. Neque enim hoc loco consummare vult Dionysius, quot centurias prima classis cum equitibus continuerit, sed explicat, quot e 193 centuriis consentire debuerint, ut confectum esset negotium. Nec vero 98 centuriis ad conficiendam majorem partem opus erat, sed 97 tantum. Eodem errore deductus est Sylburgius, ut adnotatione sequenti ἓξ καὶ ἐννενήκοντα mutaret in πέντε καὶ ἐννενήκοντα. Etenim Εἰ μὲν οὖν ἐπὶ τῶν πρώτων λόχων — — τὸ αὐτὸ φρονήσαιεν ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα κ. τ. λ. ita explicandum est: Quodsi e (98 illis) centuriis, quas prima classis cum equitibus continebat, 97 consensissent etc.

58) Phil. II, 33.

59) τέλος εἶχεν ἡ ψηφηφορία.

60) Finita fuisse comitia etiam inde patet, quod Cicero

augurali potestate. Quodsi post secundae classis suffragia confectum erat negotium, major fuerit necesse est primae classi cum equitibus et secunda classe centuriarum numerus quam reliquis tribus classibus. Nunc evolvas quaeso tabulam illam, qua descripsimus Walteri sententiam, quo facilius computationem nostram intelligas.

I) Suffragia tulerant	
1) prima cl. cum 12 eq. pleb. centuriis (70+12)	82
2) Sex eq. patriciorum suffragia .	6
3) Secunda classis	70
Summa	158 cent.
II) Reliquae erant	
1) tertia classis	70
2) quarta classis	70
3) quinta classis	70
Summa	210 cent.

Quamobrem, ut omnes priorum classium centuriae suffragia sua Dolabellae dederint, tamen e Walteri sententia major centuriarum pars nondum inierat suffragium. Quum vero Cicero dicat, post suffragia secundae classis confectum fuisse negotium, i. e. majorem suffragiorum partem a Dolabella latam fuisse, stare non potest Walteri sententia, quum Ciceroni aperte contradicat[61]).

---

cap. 32, Antonium habitis comitiis intercessisse queritur.

61) Subjicimus hic novum, quod promisimus, argumentum

Quodsi neque in universum septuaginta peditum centurias factas esse cum Niebuhrio, neque cum Waltero cuivis classi tributas esse 70 centurias statuere licet, quid tandem faciamus septuaginta illis centuriis, de quibus loquitur Livius? Nihil omnino reliquum est, nisi ut ad unam tantum alteramve e quinque classibus referamus septuaginta illas Livii centurias. Si nullum in scriptoribus antiquis vestigium extaret, cui maxime e quinque classibus tribuendae essent septuaginta centuriae, ante omnes haud dubie succurreret classis prima, cui et secundum Servianum ordinem proxi-

---

contra Niebuhrii sententiam. Niebuhrius et ipse statuit, finita fuisse comitia, postquam major universarum centuriarum pars idem decrevit (Cf. III, 391). Itaque ex Niebuhrii sententia in comitiis Dolabellae confectum erat negotium, postquam 45 (i. e. $\frac{88}{2} + 1$) centuriae suffragia sua Dolabellae dederunt (cf. tabulam nostram, qua descripsimus Niebuhrii sententiam). Quum vero e Niebuhrii sententia prima classis cum equitibus 80 (i. e. 62 + 18) contineret centurias, ex his 80 centuriis 36 minimum (nam 80 — 35 = 45), reprobaverunt Dolabellam, si, id quod aperte dicit Cicero, res ad secundam classem pervenit. Etenim si 35 solae primae classis centuriae repudiarunt Dolabellam, tamen 45 (i. e. 80 — 35) ei supererant suffragia, quae rem confecissent, priusquam ad secundam classem redigeretur. Num vero tu, quum summum ascendisset Caesar potentiae fastigium, 35 centurias suffragia tulisse credis contra voluntatem Julii Caesaris, qui Dolabellam „consulem esse jusserat“?

mus septuaginta centuriarum erat numerus. Sed casu quodam evenit, ut certum habeamus sententiae nostrae auctorem eumque in quaestione Livia nequaquam contemnendum. Livius enim ipse (XXIV, 7) *Inde Romam*, inquit, *comitiorum caussa veniens* (Q. Fabius), *in eum, quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit; atque ex itinere praeter urbem in campum descendit. Eo die cum sors praerogativae Aniensi j u n i o r u m exisset, etc.* Apud eundem scriptorem XXVII, 6 legimus: *Ipse* (Q. Fabius dictator) *comitia, in quem diem primum potuit, edixit, quae certamine inter tribunos dictatoremque injecto perfici non potuerunt. Galeria j u n i o r u m, quae sorte praerogativa erat etc.* Sed maximi momenti est ad rem nostram caput 22 libri XXVI. Ibi quum tam planis utatur Livius verbis, ut superari vix possit, totus mihi exscribendus est locus:

Fulvius, Romam comitiorum caussa arcessitus, cum comitia consulibus rogandis haberet, praerogativa Veturia j u n i o r u m declaravit T. Manlium Torquatum et T. Otacilium. Manlius, qui praesens erat, gratulandi causa cum turba coiret, nec dubius esset consensus populi, magna circumfusus turba ad tribunal consulis venit, petitque, ut pauca sua verba audiret, centuriamque, quae tulisset suffragium, revocari juberet. Erectis omnibus exspectatione, quidnam postulaturus esset, oculorum valetudinem excusavit. Impudentem et gubernatorem et imperatorem esse, qui, cum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet, sibi aliorum

capita ac fortunas committi. proinde, si videretur, et redire in suffragium Veturiam *juniorum* juberet, et meminisset in consulibus creandis belli, quod in Italia sit temporumque reipublicae. Vixdum requiesse aures a strepitu et tumultu hostili, quo paucos ante menses assederint prope moenia Romana. Post haec cum centuria frequens succlamasset, nihil se mutare sententiae, eosdemque consules dicturos esse; tum Torquatus, Neque ego vestros, inquit, mores consul ferre potero, neque vos imperium meum. Redite in suffragium, et cogitate bellum Punicum in Italia, et hostium ducem Hannibalem esse. Tum centuria, et auctoritate mota viri, et admirantium circa fremitu, petit a consule, ut Veturiam *seniorum* citaret: Velle se cum majoribus natu colloqui, et ex auctoritate eorum consules dicere. Citatis Veturiae *senioribus*, datum secreto in Ovili cum his colloquendi tempus. *Seniores* de tribus consulendum dixerunt esse, duobus jam plenis honorum, Q. Fabio et M. Marcello, et, si utique novum aliqnem adversus Poenos consulem creari vellent, M. Valerium Laevinum egregie adversus Philippum regem terra marique res gessisse. Ita de tribus consultatione data, *senioribus* dimissis, *juniores* suffragium ineunt. M. Claudium Marcellum, fulgentem tum Sicilia domita, et M. Valerium absentes consules dixerunt. auctoritatem praerogativae omnes centuriae secutae sunt. Eludant nunc antiqua mirantes. non equidem, si qua sit sapientium civitas, quam docti fingunt magis quam norunt, aut principes graviores tempe-

rantioresque a cupidine imperii, aut multitudinem melius mutatam censeam fieri posse. *Centuriam vero juniorum seniores* consulere voluisse, quibus imperium suffragio mandaret, vix ut verisimile sit, parentum quoque hoc seculo vilis levisque apud liberos auctoritas fecit. —

In superioribus dissertationis nostrae partibus quum quinque civium classes ad ultima reipublicae tempora permansisse demonstraverimus, iidemque praerogativam semper e prima classe esse desumtam aliunde [62]) sciamus, e laudatis Livii locis perspicue intelligimus, primae classis centurias prae caeteris (κατ' ἐξοχὴν) *seniorum juniorumque* esse adpellatas. Quamobrem quid mirum, si eodem modo Livius I, 43 centuriis juniorum seniorumque primam civium classem significat? Duplicatus igitur ille tribuum numerus seniorum juniorumque centuriis ad primam pertinet classem, cui pro 80 centuriis 70 tantum tributae sunt. Itaque, ut omnia, quae praeterea e locis antiquorum scriptorum colligi possunt, praetermittamus, haec certe e verbis Livii, Dionysii, Ciceronis aliorumque de novo centuriarum ordine pro compertis habemus:

1) Quinque civium classes nequaquam sunt sublatae. Dionys IV, 21. Epist. Sallust. II, 8.

2) Primae classi pro 80 centuriis Servianis septuaginta tantum tributae sunt. Liv. I, 43, (coll. Cic. Phil. II, 33.).

3) Prima classis cum equitibus jam non potuit

62) de rep. ord. II, 8.

rem conficere. Sin minus, in comitiis Dolabellae consularibus, quibus haud dubie omnes centuriae Caesari morem gesserunt, res non rediisset ad classem secundam [63]). Itaque post mutatum centuriarum ordinem non plura, ut ex instituto Servii Tullii, sed pauciora habuit suffragia prima classis cum equitibus quam reliquae quatuor classes consummatae. Phil. II, 33.

4) Sed prima classis cum equitibus et classe secunda plures continebat centurias quam tertia, quarta, quinta conjunctae classes. Nam post secundae classis suffragia confectum erat negotium in Dolabellae comitiis. Phil. II, 33.

Hanc disquisitionis nostrae de ordine centuriarum mutato summam memoria tenentes ad locum Ciceronis reip. II, 22 redeamus. Sed priusquam egomet sententiam meam proferam, ex te ipso quaero, num quid novi in mentem tibi venerit. Sin minus, evolvas quaeso paragraphum dissertationis nostrae quartam, iterumque legas Ciceronis locum laudatum.

E tota ea, quam de mutato centuriarum ordine proposuimus, disputatione si nihil tibi placet, hoc unum certe non nobis, sed Niebuhrio, Waltero, omnibus denique, qui hac de re disceptarunt, concedes, veram immutati ordinis Serviani indolem extremis reipublicae temporibus valde jam fuisse

---

63) Idque mirifice congruit cum 2.).

obscuratam ac nequaquam omnibus satis notam[64]). Quibus autem verbis Cicero descriptionem suam classium centuriarumque Romanarum exorditur? *Haec*[65]) *descriptio*, inquit, *si esset ignota vobis explicaretur a me.* Quid? Haeccine sunt de re obscurissima disceptaturi verba? Quid? Idem, qui de rebus ab Romulo Numaque Pompilio gestis ea narravit, quae Ciceronis aetate haud dubie pueris essent trita, ad rem gravissimam accedens ac tam diu jam antiquatam, ut ne historiarum quidem perscrutatoribus satis de ea conveniret[66]), descriptione, ait, opus non esse ejus rei, quam omnes notam haberent? Sed quid multa? Luce enim ipsa clarius apparet, Ciceronem ponere ante oculos nostros eum centuriarum ordinem, qui ipsius aetate valebat. Sic omnia fiunt plana. *Quae descriptio*, inquit, *si esset ignota vobis explicaretur a me.* Sane non solum viri illi apud Scipionem disputantes compertum habere debuerunt eum centuriarum ordinem, qui ipsorum aetate valebat, sed quisquis in comitiis suffragium ferebat, secundum quem ordinem sua ipsius aetate centuriae vocarentur, haud igno-

64) Cf. Liv. I, 43. Nec mirari etc. Nieb. I, 479.

65) Talia non ad Scipionis aequales referenda esse, sed ad Ciceronis, omnes sciunt, qui vel unum seu Ciceronis seu Platonis dialogum legerunt. Neque enim ea praeterire potuit Cicero ut nota, quae Scipioni Africano nota erant, sed ea solummodo, quae libri sui lectoribus essent trita.

66) Cf. Livii et Dionysii discrepantias. §. 3.

rabat. Eamque ob caussam excusatione opus esse putavit Cicero, si ea describeret, quae omnibus trita essent atque vulgata. Etenim idem ei faciendum erat, ac si quis nostra aetate distributionem anni explicaret lectoribus eruditis. „*Annus divisus est in partes duodecim, quas adpellant menses etc.*“ Inde fit, ut ita continuet Cicero descriptionem suam: *Nunc rationem videtis esse talem, ut* — — — *habeant.* Digitis quasi monstrat Scipio comitia centuriata, quae sexcenties viderant omnes ejus auditores. Sed nihilominus ita describit centuriarum ordinem, ut versantem in enarranda historia Romana decet. Neque enim instituta Romana secundum materiarum ordinem disposita describit Scipio sed historiam Urbis enarrat ita, ut legum institutorumque explicationem adjungat iis aetatibus, e quibus originem duxerunt. Qua de caussa eam videmus in loco nostro temporum grammaticorum variationem, ut anacoluthi paene speciem prae se ferat. *Videtis, esse, ut — habeat, — quibus si (tot enim — sunt) accesserunt, confecta est; — — — excluderetur, ne — esset etc.*

His imperfecti temporis conjunctivis postquam rediit ad narrationem suam Scipio, caetera, id quod exspectandum erat, iis temporibus grammaticis describit, quae Servii Tullii aetati conveniunt. Sed quasi prospexisset Cicero, ea, quae plana essent aequalibus suis, perperam interpretaturos esse nepotes, passim verbo significat, se in sequentibus quoque eum centuriarum ordinem describere, qui ipsius aetate esset. *Illarum autem*

inquit, *sex et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem plures censebantur, quam paene in prima classe tota.* Nonne in illo *tum quidem* tacitum continetur: *Nunc vero.* Sequitur, eundum videri Ciceroni ordinem Servianum atque eum, qui ipsius aetate erat. Neque enim numerum civium sua aetate ad singulas centurias pertinentium comparare potuit cum numeris Servianis, nisi eundem classium centuriarumque ordinem Servii Tullii temporibus fuisse statuit, qui sua aetate valebat. Id quoniam non vidit Niebuhrius, initium capitis nostri intelligi non posse judicavit. [67]).

„ — — — *duo deviginti censu maximo. Deinde equitum magno numero ex omni populi summa separato, relicuum populum distribuit in quinque classis etc.*

Haec codicis Vaticani verba quis est quin intelligat? Quid enim aliud suppleri potest ad *duodeviginti censu maximo*", quam quod A. Majus adjecit: *scripsit centurias equitum duo deviginti censu maximo*, vel simile quidpiam? Sed Niebuhrius, qui totum Ciceronis locum ad immutatum Servii Tullii censum contulit, quum probe intelligeret, Servii Tullii temporibus patricios secundum remfamiliarem censeri non potuisse, verba Ciceronis non intelligere maluit, quam tantum ei adscribere errorem. Sin vero Cicero, ut satis demonstrasse no-

67) „Was Cicero über die Auswahl der Ritter censu maximo gesagt, ist verstümmelt und nicht zuverlässig zu ergänzen." I, 480. Anm. 1005.

bis videmur, omnino non describit immutatum Servii Tullii censum, sed suae aetatis ordinem ad regem illum priscum confert, non mirandum, si de equitibus quoque ea proposuit, quae in sua ipsius tempora quadrarent.

Itaque suae aetatis ordinem a Cicerone describi, quum e tota loci Ciceroniani indole appareat, tum numeri illi centuriarum, quos non modo esse genuinos, sed ne posse quidem esse corruptos demonstravimus, omnem tollunt dubitationem. Nam si eos, quos codex ipse recentiorum emendationibus non corruptus praebet, numeros cum iis confers, quos nulla loci nostri ratione habita ex aliis scriptorum antiquorum locis probavimus, mirifice convenire Ciceronis verba cum omnibus de ordine illorum temporum aliunde notis, infitias non ibis. Primum enim quum iis argumentis, quae refellas, quaeso, si potes, primam ordinis mutati classem septuaginta amplexam esse centurias demonstraverimus, eundem centuriarum numerum primae classi tribuit Cicero, id quod e genuina codicis lectione convicimus: Deinde Ciceronis computatio, qua octo saltem *secundae* classis centuriis opus esse ad conficiendam populi vim universam demonstrat, mirifice convenit cum comitiis Dolabellae consularibus, quibus quum prima classis cum equitibus decernere rem non potuisset, post secundae classis suffragia confectum erat negotium.

Quae quum ita sint, nemo certo contradicet, si iis scriptorum antiquorum testimoniis, quae de mutato centuriarum ordine reliqua sunt, nostrum

quoque adnumeramus locum. Hac ratione collatis omnibus veterum scriptorum de censu mutato locis integram fere novi ordinis imaginem efficere possumus. Quem ad finem effigie quadam novam centuriarum distributionem expressimus, adjecta tabula omnes centurias per classes et tribus descriptas exhibenti. Sed quoniam certa secernere ab incertis summo in disquisitionibus historicis est usui, duas proposuimus tabulas, quarum altera nihil continet, quin antiquorum scriptorum auctoritate sit firmatum, altera ea quoque amplectitur, quae conjectura assecuti sumus [68]).

Primam civium classem ex novo ordine ita esse institutam, docet Livius (I, 43), ut duplicaretur tribuum numerus centuriis seniorum et juniorum, i. e. ut e ditissimis [69]) cujusvis tribus civibus binae componerentur centuriae, altera seniorum, altera juniorum. Inde, quid consilii habuerint centuriarum reformatores, conjeceris. Nam quum post publicatas duodecim tabularum leges et patricii et clientes in tribus essent recepti, omnes, qui in comitiis centuriatis suffragia ferebant, tribubus erant adscripti. Qua de caussa exoptatum videbatur, ut centuriarum termini, quantum fieri posset, cum tribuum finibus congruerent. Et quoniam prima classis tot fere continebat et seniorum et juniorum centurias, quot essent tribus, eum in modum centuriarum ordinem mutarunt censores, ut

68) Cf. tabulas in fine diss.

69) i. e. exceptis equitibus.

e cujusvis tribus ditioribus binas formarent centurias, alteram seniorum, alteram juniorum. Illo igitur ex tempore revera quaevis primae classis centuria „*unius tribus pars*“ 70) erat. Eadem ratione caeterarum quoque classium centurias tribuum finibus circumscripserunt censores. Sed quum in uni-

70) Cicero pro Cn. Plancio c. 20. An tandem una centuria praerogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit? tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum aedilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit? cujus in honore non *unius tribus pars*, sed comitia tota comitiis fuerint praerogata?“ Centuria praerogativa, quae semper e prima classe sorte eligebatur, hoc loco adpellatur „unius tribus pars“. Id quod ex nova centuriarum descriptione revera erat. (Cf. Tabulas nostras I et II, in append.) Nam quaevis primae classis centuria ad unam tantum pertinuit tribum. Exierit e. g. sors centuriae Cluentiae seniorum. Videsne in tabulis nostris, eam primae classis centuriam, quae Cluentiae seniorum nomen tulit, partem fuisse tribus Cluentiae? Sed cave opineris, in tota oratione Planciana de centuriatis comitiis sermonem esse. Nihil enim aliud dicit Cicero, quam comitiis illis tributis, quibus creatus erat aedilis Plancius, eodem modo praerogata fuisse comitia tota priora, quibus designatus erat, ut in comitiis centuriatis unam praerogativam sequi soleant caeterae centuriae. Cf. excursum nostrum I, de Ciceronis Planciana.

versum 104 tantum centurias quatuor classibus posterioribus reliquas fuisse e Cicerone (rep. II, 22) pro comperto habeamus, conjuncti sint necesse est nonnullarum tribuum cives, quibus secundae classis census esset, sub una centuria. Quod quomodo effectum sit, e secunda tabularum nostrarum cognosces. Et quidem tribuum seriem ex arbitrio nostro constituimus. Qua de re quum nullum aetatem tulerit scriptorum veterum testimonium, liberum est judicium. Id solum consilio fecimus, ut quatuor tribus urbanas post rusticas poneremus, cujus rei rationem posthac reddemus. Hoc certe e tabula nostra primo obtutu cognosces, optime conjungi potuisse tribuum et centuriarum distributionem. Ad numerum autem centuriarum, quem cuivis classi tribuimus, quod attinet, si quid novisti rectius istis etc. Equidem ut aliquam certe veri speciem assequerer, hanc fere inii rationem. Omnes centuriae peditum, excepta classe prima, numerum explebant 104 (rep. II, 22); quibus si detrahis quinque cornicinum, liticinum, accensorum, velatorum, proletariorum centurias unamque „*ni quis scivit*", reliquae sunt quatuor classibus posterioribus centuriae 98. Quem numerum si confers cum classibus Servianis, octo centurias peditum armatorum additas esse quatuor classibus posterioribus ex novo centuriarum ordine invenies. Has centurias verisimilia secuti ita distribuimus, ut contineat:

2) Secunda classis 20 + 2 = 22
3) Tertia classis 20 + 2 = 22
4) Quarta classis 20 + 2 = 22
5) Quinta classis 30 + 2 = 32

Summa ex antiquo ordine 90 add. 8 = 98.

Has 98 centurias quomodo dispertiti simus inter 35 tribus, quarum partibus compositae erant classes, e tabula nostra vides. Sed totius mutationis summa haec erat, ut in quavis classe centuriae terminarentur secundum eas tribus, quibus inscripti erant cives. Eaque de caussa Cicero de comitiis suis consularibus, quae haud dubie centuriata erant, haec dicere potuit[71]: „Est illud amplissimum, quod paullo ante commemoravi, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primum me multis post annis affecistis; quod prima petitione: quod anno meo: sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam, vindicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis. Itaque me non *extrema tribus suffragiorum*[72], sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praeconum, sed una voce universus populus Romanus consulem declaravit."

Ut plane intelligas, qualia fuerint comitia centuriata ex ordine mutato, certum quoddam comi-

71) Contra Rullum II, 2.
72) Cf. §. 6, 5.

tiorum centuriatorum exemplum proponere conati sumus.

1) Sortitio et suffragium praerogativae.

2—83. Prima classis vocatur. Post praerogativam primo equitum plebejorum centuriae 12 suffragia ferunt. Has quoque secundum tribus descriptas fuisse, inde colligimus, quod a 12 tabularum temporibus equites tribubus adscripti erant. Efficiebantur equitum centuriae hunc fere in modum: Quotquot v. c. e tribubus Aemilia et Camilia supra 1000 000 aeris possiderent, eligebantur in primam equitum centuriam; quotquot eodem censu essent in Cluentia et Cornelia, secundam efficiebant equitum centuriam, etc.

Post equites suffragium inibant sexaginta novem primae classis centuriae, (— praerogativa enim jam rogata erat), — secundum ordinem tribuum. Primo Aemilia seniorum, deinde Aemilia juniorum, tum Camilia seniorum, etc., postremo tribuum urbanarum centuriae.

Primae classi attributa erat una tignariorum centuria. Haud dubie tignarii omnes uni tribui adscripti erant[73].

84 — 89. Postquam renuntiatum est de prima classe, admittuntur sex (equitum patriciorum) suffragia, quae utrum secundum tribus fuerint distributa necne, incertum. Sed quum patricii

73) Cf. quae narrat Liv. XL., 51: Mutarunt suffragia: regionatimque generibus hominum, causisque, et quaestibus, tribus descripserunt.

quoque recepti essent in tribus, eorum centurias tribuum finibus circumscriptas fuisse, facile credideris, ita ut e. g. omnes patricii, qui in Aemilia, Camilia, Cluentia, Cornelia, Fabia inscripti essent, unam efficerent centuriam; qui in Galeria, Horatia, Lemonia, Menenia, Papiria secundam etc.

90—111. Tum secunda classis, quam secundum tribus fuisse divisam, supra demonstravimus. Conficiebant v. c. omnes, qui in tribubus Aemilia, Camilia, Cluentia plus 75000 ac minus 100000 aeris possiderent annumque excessissent quadragesimum quintum, unam centuriam seniorum; qui easdem opes in censum deferentes infra annum 45 essent, et ipsi unam centuriam efficiebant juniorum. Eodem modo tertia et quarta centuria secundae classis composita erat e tribuum Corneliae, Fulviae, Galeriae civibus etc. Postremo autem hac quoque in classe ad suffragium admittebantur urbanae tribus.

112—193. De tertia, quarta, quinta classe eadem dicenda sunt, quae de secunda proposuimus. Ad cornicinum vero et liticinum, accensorum, velatorum, proletariorum centurias quod attinet, conferas de tignariis adnotata. Et quidem post quintam classem posuimus hos omnes, quia e fine[74]) capitis 22 secundi de rep. libri colligi potest, inter ultimas eorum fuisse centurias. Caeterum accensos, velatos, proletarios ut vilioris conditionis homines urbanis adscripsimus tribubus. De ultima

74) Quin etiam.

centuria „*ni quis scivit*" Festi[75]) locus exstat, quo quamquam ad Servium Tullium confertur centuria illa, tamen, quum nec Livius nec Dionysius ejus centuriae mentionem faciant, ad mutatum ordinem pertinuisse videtur. Fortasse Cicero de illa centuria locutus est in perdito capitis 22 fine.

Haec sunt, quae de mutato centuriarum ordine eruere potuerim. Ac nisi omnia me fallunt, quotquot antiquorum scriptorum de centuriatis posteriorum temporum comitiis exstant loci, optime conveniunt cum descriptione nostra. Si v. c. apud scriptorem veterem tribus urbanas deteriores fuisse rusticis legeris, facile elicies caussam e tabulis nostris. Primum enim extremo in quavis classe loco suffragium inibant tribus urbanae. Deinde plures tribus urbanae quam rusticae ad unam pertinebant centuriam. Postremo id quod e Liv. IX., 46 colligimus, multo major singulorum civium erat numerus in tribu urbana quam in rustica, unde evênit, ut minoris momenti essent singulorum civium urbanorum suffragia. Easque ob caussas revera dignitate removebantur, qui e rusticis in urbanas transponerentur tribus. Idque remedium erat apud Romanos, ne nimium valerent in comitiis infimae conditionis homines, qui illiberalibus

---

75) ni quis scivit, centuria est a Servio Tullio rege constituta, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua, ne quis civis suffragii jure privaretur. Locum ex adnot. A. Maji ad Cic. rep. II., 22 desumsimus.

artibus magnas sibi comparassent divitias. Nam quum e verissima Niebuhrii observatione non optimus quisque summam in pecunia corradenda ponat curam, praecavendum erat, ne vilissimi ingenii homines maximam nanciscerentur in republica potestatem. Idque non semel sed saepius eo effectum est, ut turba forensis in quatuor tribus urbanas „*conjiceretur*" [76]).

Id quoque facile intellexeris, cur Dionysius Halicarnassensis *δημοτικώτερα* facta esse comitia centuriata dicat. Ille enim scriptor quum usquequaque timocraticas institutorum Romanorum partes confuderit cum aristocraticis, *δημοτικώτερα* Servianis adpellavit suae aetatis comitia, quia ex octoginta primae classis centuriis decem pervenerunt ad classes minus locupletes.

§. 6.
Probabilia.

Quae in paragraphis antecedentibus disputavimus, quum nobis quidem satis certa videantur atque firmata, nunc probabilia quaedam adjicere concedant lectores benevoli.

---

76) Liv. IX., 46: Ex eo tempore in duas partes discessit civitas. aliud integer populus, fautor et cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat; donec Q. Fabius et P. Decius censores facti: et Fabius, simul concordiae caussa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas adpellavit. Cf. Cic. de or. I, 9.

1) Ac primum quidem de Livii loco I, 43 sententiam proferamus, quae tametsi ab omni parte absoluta vocari non possit, speciem quandam veri prae se fert. T. Livius postquam equites vocatos esse primos, octoginta inde primae classis centurias, narravit, *ibi*, inquit, *si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur: nec fere unquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent. Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum seniorumque, ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire.*

Haec si accuratius perpendis, infitias non ibis, obversatos esse Livii animo homines quosdam eosque minime despectos, qui Servii Tullii censum atque illum ordinem, qui posterioribus reipublicae temporibus erat, commiscuerint. Nequaquam enim Livius eos sibi proposuit lectores, qui omnino nihil de institutis moribusque Romanorum cognitum haberent. Quod qui negare velint, conferant e. g., qua ratione enarret T. Livius secessionem in montem sacrum (II, 33.) ac tribuniciae potestatis primordia. Ibi enim inter alia dicit Livius: *Sunt, qui duos tantum in Sacro monte creatos tribunos esse dicant, ibique sacratam legem latam.* Id vero quis est qui intelligere possit, nisi legem sacratam antea jam cognorit? Quodsi Livius nequaquam scripsit annales suos lectoribus prorsus insciis, nostro quoque loco minime quemlibet hominem rudem ab eo respici, sed certos quosdam

scriptores non contemtos, qui in errorem istum inciderint, ab eo notari, statuendum est. Quam ob caussam quidni Ciceronis ipsius de republica libros computationemque ibi institutam perstringi a scriptore nostro concedamus? Notos enim fuisse Ciceronis de republica libros T. Livio quum per se pateat, tum e Camilli oratione (V, 54) apparet. Ibi enim, ne Vejos transmigrarent, adhortans cives suos Camillus, *Non sine caussa*, inquit, *Dii hominesque hunc urbi condendae locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis terris fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur, mare vicinum ad commoditates, nec oppositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum: regionum Italiae medium, ad incrementum urbis natum unice locum.*" Quibuscum si comparas ea, quae de opportuno Urbis situ disserit Scipio apud Ciceronem (rep. II, 3 sq.), easdem res iisdem fere quamvis copiosioribus verbis exprimi a Cicerone invenies. Quodsi cognitos habuit Livius Ciceronis de rep. libros, haud dubie eorum quoque habuit rationem, quae de Ser. Tullii censu dicit Cicero. Quae quum a tanto ac tam celebrato scripta essent viro, negligi a T. Livio non potuerunt. Sed nihilominus nominatim reprehendere clarissimum inter Romanos oratorem noluit Livius, ideoque verbis illis: „*Nec mirari oportet etc.*" cognitos quidem habere semet Ciceronis de republica libros significat, sed quales, (haec est sententia Livii tecta), quantique viri in istum inciderint errorem, ipsi videant lectores. Etenim

verba illa: „*Nec mirari etc.*“ referenda esse ad proxime antecedentia, non dubium. Ibi autem quum explicet Livius ex Servii ordine plerumque ab equitibus primaque classe res esse decisas, aperte contradicit Ciceroni, qui octo saltem secundae classis centuriis semper opus esse dicat ad rem conficiendam; et jure quidem, si de mutato ordine sermo est. Sed hunc ordinem, inquit Livius, qui nunc est, (et secundum quem computationem suam ordinat Cicero), ad institutam ab Ser. Tullio summam [77]), (quam equidem proposui), non convenire, non est, quod miremur.

2) In prima hujus paragraphi parte quum Livii sententias tectas divinare ausi simus, nunc de Cicerone sententiam proferamus aliquantulo audaciorem. Quamquam falsa narrari a Cicerone de Servii Tullii censu, dubitari non potest, tamen miretur quispiam, Ciceronem in errore versatum esse de ea re, quae non solum Livio sed etiam Dionysio satis esset nota. Nam si errore deductum Ciceronem tribuisse primae civium classi septuaginta centurias statuimus, contendamus necesse est, ignotos fuisse Ciceroni veros centuriarum Servianarum numeros. Sed quisquis dialogorum antiquorum et Graecorum et Romanorum indolem perspectam habet, temeritatis nos non incusabit, si Ciceronem cognitos quidem habuisse veros centu-

77) Summa apud Liv. (I, 43) non idem est, quod numerus, sed ut saepius consummationem, computationem significat.

riarum antiquarum numeros, sed nihilominus eum ordinem, qui ipsius aetate esset, Servio Tullio adscripsisse, judicamus. Etenim, ut saepius jam diximus, antiquitates Romanas perscrutari nequaquam voluit Cicero in libris de republica, sed id solum spectavit, ut optimae reipublicae imaginem nobis proponeret. Eamque ob caussam sub nomine Servii Tullii totam eam descripsit populi Romani distributionem, quam et in libris de republica et oratione pro L. Flacco (c. 7.) summis tollit laudibus. Nam summam institutorum Servianorum ad suam usque aetatem permansisse judicavit Cicero, id quod ex oratione pro Flacco (l. l.) discimus. Ibi enim, *O morem praeclarum*, inquit, *disciplinamque, quam a majoribus accepimus, si quidem teneremus sed nescio quo pacto jam de manibus elabitur* [78]. *Nullam enim illi nostri sapientissimi et sanctissimi viri vim concionis esse voluerunt. quae scisceret plebes* [79], *aut quae populus juberet*, [80]), *sum-*

78) Id vero ne quis forte ad mutationem centuriarum conferat, quae Ciceronis aetate tantum jam temporis constitit, ut haud dubie et ipsa a Cicerone institutis ab antiquitate acceptis adnumeraretur. Sed quum in universum de labanti antiqua disciplina, tum de concionibus Romanorum loquitur Cicero, ut e toto argumento orationis pro L. Flacco patet.

79) scisceret plebes, i. e. in comitiis tributis.

80) populus juberet, si de antiquissimis temporibus loqueretur Cicero, ad curiata comitia referenda essent haec verba. Sed Ciceronis aetate comitiis centuriatis „jubebat populus“

mota concione, distributis partibus, tributim et centuriatim descriptis ordinibus, classibus, aetatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgata et cognita, juberi vetarique voluerunt.

3) De tempore, quo mutatus est centuriarum ordo, nihil constat. Livius (I, 43) post expletas 35 tribus, ait, novum ordinem institutum esse, quot annos post expletas 35 tribus, non adjicit. Caeterum et e Livii verbis et ex ipsa mutationis indole colligere possumus, haud multo post expletas 35 tribus[81]) novum institutum esse centuriarum ordinem[82]).

4) Num census quinque classium idem remanserit inde a Ser. Tullio usque ad interitum reipublicae, difficilis est quaestio eam maxime ob caussam, quod verine sint illi numeri, quos Livius et Dionysius Servii Tullii temporibus tribuunt, ignoramus. Isti enim numeri si revera ad Ser. Tullium pertinent, sequenti tempore auctum esse classium censum, suspicetur quispiam. Neque vero

---

81) i. e. post annum ante Ch. n. 240. Cf. Nieb. I, 446 sq. Liv. II, 16. II, 21. VI, 5. VII, 15. VIII, 17. IX, 20. X, 9. epit. XIX.

82) In re tam incerta, quae ne Livio quidem et Dionysio satis perspecta fuisse videtur, diversa opinari licet. Eamque ob caussam Walteri Niebuhriique sententias adjicimus, quorum alter statim post latas 12 tabularum leges mutatum esse ordinem arbitratur, alter (Niebuhr.) Q. Fabio Maximo censori (436 U. C.) centuriarum mutationem adscribit.

ex ratione auctarum divitiarum censum esse exaggeratum, e Cic. reip. II, 22 discimus. Ibi enim quum Servii aetate in una e 96 centuriis posterioribus plures cives fuisse dicat, quam paene in prima classe tota, e verbis „*tum quidem*", a Cicerone usurpatis collegimus, Ciceronis aetate majorem fuisse primam classem, si cum caeteris compararetur, quam antiquissimis temporibus. Caeterum censum equestrem Ciceronis aetate fuisse decies centena millia aeris, scimus. De classium autem censu nihil quidem constat, sed e Ciceronis verbis supra laudatis jure conjeceris, Livii Dionysiique numeros, sive a Ser. Tullio originem duxerunt, sive ad posteriorem pertinent aetatem, a Ciceronis temporibus non esse alienos. Idque Niebuhrii argumentationibus [83], quibus post exaggerata rerum pretia eos quoque in priores classes irrepsisse demonstrat, quibus secundum verum legis antiquae sensum vix posteriorum classium esset census, confirmatur magis quam redarguitur.

§. 7.

Quisquiliae.

In paragraphis antecedentibus postquam veram comitiorum centuriatorum indolem eruimus, nunc paucis comparare liceat Romanorum instituta cum legibus Solonis. Nec vero omnia, quibus differunt Servii ac Solonis instituta, pertractabimus, sed unum solummodo illustrabimus discrimen.

---

83) III, 380 coll. III, 392.

Et Servii et Solonis instituta a mera populi dominatione, qua omnes pares sunt, eo maxime differunt, quod eam, quam quisque reipublicae administrandae, habet partem secundum remfamiliarem distribuunt. Qua ratione optime assecuti sunt viri illi sapientissimi, quod semper esse tenendum in republica, dicit Cicero, ne plurimum valeant plurimi. Sed diversa ratione ad hunc finem pervenerunt Servius ac Solon. Nam quamquam uterque in classes quasdam divisit populum, tamen diversum in modum usi sunt his classibus. Summa civium jura in rebus publicis Romanorum et Atheniensium haec erant: primum jus suffragii in comitiis, deinde jus magistratuum gerendorum. Quodsi quis majora impertire voluit ditioribus jura quam caeteris civibus, duplici ratione hoc assequi potuit. Namque aut magistratuum gerendorum aut suffragii ferendi jus imminuere licuit minus opulentis[84].

Priorem harum viarum experti sunt Athenienses. Solon enim quum in quatuor divisisset classes (πενταχοσιομεδίμνυς, ἱππεῖς, ζευγίτας, θῆτας) cives suos, accessum ad summos magistratus (τῶν Ἀρχόντων καὶ τῶν Ἀρειοπαγιτῶν) primae reserva-

---

84) Romae quum summa fere comitiorum vis in magistratibus posita fuerit eligendis, hunc quoque in modum exprimere possumus discrimen illud: Aut de jure eo, quo quis eligitur (passive Wahlfähigkeit, Wählbarkeit), aut de jure eo, quo quis eligit (active Wahlfähigkeit, Stimmfähigkeit) detrahi potuit egenis.

vit classi. Eodemque consilio, ut penes opulentiores summa esset in republica vis, senatores e prioribus tantum tribus classibus eligebantur. Sed in comitiis omnia suffragia idem valebant, ita ut tenuissimi proletarii (θητός) sententia eadem esset auctoritate qua ditissimi pentacosiomedimni.

Alteram ingressi sunt viam Romani. Nam postquam discrimen inter patricios plebejosque homines est sublatum, omnibus civibus Romanis aditus est patefactus ad summos magistratus. Quantum pertinuit ad jura, egestate nemo erat impeditus, quominus ad summos ascenderet honores. Qua vero ratione id sunt assecuti Romani, quod summis in republica eorum extollit laudibus Cicero, ne plurimum valerent plurimi?

Ea ratione, quam in dissertatione nostra exposuimus. Non jus illud, quo quis eligitur, (Wählbarkeit), sed illud jus, quo quis eligit (Stimmfähigkeit), imminuebant egenis. Neque enim numerabantur suffragia in comitiis, sed ponderabantur, ita ut equitis Romani sententia multo majore esset auctoritate quam proletarii. Qua ratione hoc sit effectum, e tabulis nostris perspici potest.

Utra harum rationum sit melior, mea quidem sententia dubitari non potest. Nam et Athenienses et Romani hanc regulam sunt secuti: „Major et doctrinae vis et patriae amor penes opulentos.“ Quae regula quamquam in universum haud dubie est vera, tamen notum illud: „nulla regula sine exceptione,“ vel maxime nostram quadrat in regulam. Nam et inter pauperes haud raro inveniri

summam et humanitatem et amorem patriae, inter omnes constat. Quidquid autem harum virtutum reperiebatur inter minus opulentos, a magistratibus exclusum erat in republica Atheniensium. Contra Romanorum instituta sapientissime sociabant regulam illam in universum veram cum exceptionibus regulae. Nam quamquam in omnibus reipublicae discriminibus longe maximum valebant opulenti, tamen et pauperibus, qui virtute excellebant, ad summos in republica honores via patuit. — Huc accedit, quod e ratione Romanorum multo subtilius atque accuratius exaequari potuerunt jura muneribus cujusvis civis, ita ut pro suis quisque muneribus auctoritatem haberet in comitiis. Summum vero illud jus magistratuum gerendorum summo omnium civium respondet officio mortis pro patria subeundae: suffragiorum autem pondera secundum vectigalia sunt distributa, quibus adjuvant singuli rempublicam.

Sed sive assentiris his argumentis, sive reprobas sententiam nostram, hoc tamen concedere oportet, diutius placuisse Servii instituta Romanis, quam Solonis Atheniensibus. Nam census Servianus quum, ut demonstravimus, immutatus fere[85]) supra quingentos permanserit annos, classes a Solone institutae annum centesimum trigesimum

85) Etenim centuriarum mutatio, quam descripsimus, institutorum Servianorum indolem immutatam fere servavit. Idque maxime in caussa est, cur tam exiles sint antiquorum scriptorum notitiae de hac mutatione.

haud tetigerunt. Ac licet ad mores Romanorum et Atheniensium magna ex parte hoc conferas, tamen historia classium Atheniensium satis demonstratur, in distributione jurum a Solone instituta caussam fuisse positam, qua ad interitum duceretur classium divisio. Nam quum e summo bellorum Persicorum discrimine erepta esset Atheniensium civitas, satis probatum erat, etiam in illis civibus, qui minus 500 medimnis meterent, rerum gerendarum peritiam amoremque patriae reperiri. An Aristides, qui inter divites non numeraretur, idcirco minus aptus ad reipublicae salutem conservandam sibi videri debebat? Et ille ipse Aristides, qui, postquam maximo sociorum thesauro praefuit, in egestate est mortuus, rogationem tulit ad populum, ut omnibus civium classibus aditus pateret ad summos magistratus. Quum vero in comitiis Atheniensium non ponderarentur suffragia, sed numerarentur, quis tandem opponere se debuit Aristidis rogationi? An forte illi ipsi cives minus opulenti, quorum in gratiam legem suam promulgavit Aristides? Sed postquam sustulit Aristides rogatione sua discrimen inter opulentos et egenos a Solone institutum, in eam est redacta res publica formam, quam reprobat Cicero. Suffragiis enim jam antea idem pondus habentibus, ex illo tempore revera omnes erant pares, ita ut plurimum valerent plurimi. Id vero quo duxerit[86]), omnes

86) i. e. ad effraenatam populi dominationem, qua interiit Atheniensium respublica.

solunt. Romae autem, quum totam egenorum multitudinem reprimerent Servii instituta, tamen, quisquis virtute excellebat, ad summos pervenire potuit magistratus, licet ad primas civium classes non pertineret. Ac probe quidem scio, permulta fuisse, quae pauperes a petendis magistratibus repellerent in republica Romana. Sed nihilominus negari nullo modo potest, haud diutius duratura fuisse Servii instituta quam Solonis, si ut Archontes e pentacosiomedimnis, ita Romae e solo ordine equestri electi essent consules.

Pauca nobis concedantur verba de nostrorum temporum censu. Sed praemonendi sunt lectores, ne perperam intelligant sententiam nostram. Nos enim nec laudamus certum quoddam reipublicae genus nec vituperamus, sed id solum disquirimus, quo quaeque ducat reipublicae forma.

Angli et Franci eam, quam quisque habet reipublicae gerendae, partem ex re familiari definiverunt. Magis autem placuit populis illis Solonis ratio quam Servii Tullii. Nam democraticam institutorum Britannicorum partem disquirentes, [— monarchica enim (*Königthum*) et aristocratica (*Oberhaus*) huc non pertinent —], tres in Britannia invenimus hominum ordines. Quorum primus ditissimos continet, qui et eligunt et eliguntur ad summum concilium (*Unterhaus*). Secundus ordo eorum est, qui minus opulenti eligi quidem non possunt ad summum concilium, sed eligunt legatos. Tertium autem hominum genus nomen qui-

dem fert civium, reipublicae gerendae partem habet nullam. Primo ordine nemo continetur, quin trecentas per annum recipiat libras (*Pfd. Sterling*). Idque magna illa summi concilii renovatione anno 1832 non est mutatum, ita ut hunc usque ad diem ditissimi soli locum habeant in summo concilio. Eligendorum legatorum jus, quum domus aut ager decem libras per annum reddentes praebeant, haud ita parvus est inde ab anno 1832 civium eligentium numerus (800000). Sed longe maxima civium Britannicorum multitudo ad tertiam pertinet classem, quae neque eligit neque eligitur.

Eandem fere rationem inierunt Francogalli. In Francia enim post annum 1817 ii soli eligi potuerunt, qui plus 1000 monetis Francicis (*Francs*) pro vectigali penderent: eligentibus iis, qui plus 300 contribuerent. Et mitigatae quidem sunt conditiones illae asperrimae lege anno 1831 lata, qua eligi possunt omnes, qui 500 moneta Francica, eligere, qui 200 pensitant. Sed nihilominus non tricesima Francorum pars legatos mittit in summum concilium, et multo minor eorum est numerus, qui summi concilii participes possunt fieri [87].

Haec si cum Solonis Serviique institutis comparas, non Servium, sed Solonem secutos esse populos illos, invenies. Omnia enim eligentium suffragia idem valent; nec vero omnes, qui eligunt, eligi quoque possunt; sed maxima eligen-

87) Cf. librum praeclarissimum Dahlmanni: Die Politik. Göttingen 1835.

tium pars exclusa est a summo concilio. Prout Athenis omnibus civibus jus erat suffragii ferendi, magistratibus primae classi reservatis. Quid vero habeat detrimenti Solonis ratio, in comparatione institutorum Romanorum et Atheniensium vidimus. Haud absurda igitur videtur quaestio, num similia instent pericula institutis Francicis. Habuit autem in republica Atheniensium Solonis ordo haec detrimenta, primum ut exclusi essent a republica gerenda ingeniosissimi et optimi viri, si divitiis carerent; deinde ut admissis denique ad magistratus pauperibus subverteretur respublica civium aequalitate. Quae mala quomodo evitare velint Francogalli, si Solonis permanent via, haud video. Nam si retinent immensum illum eligendorum censum, ditissimi soli locum habent in concilio. Quum vero non secundum remfamiliarem distribuantur dona naturae, maxima virorum sapientium pars excludetur a concilio. Idque duplici erit detrimento, quod explicare longum est. Sed vel majus instat periculum, si multitudo hucusque exclusa a republica gerenda partem postulat summi concilii. Latius enim extendi non posse jus eligendi Solonis ratione, et Atheniensium historia docemur, et votis eorum, qui suffragio universali restauratum iri Borbonicorum majorum dominationem in Francogallia sperant. Quamobrem haud absonum duco, sapientissimi illius Romanorum regis instituta ad nostram conferre aetatem.

Ponas, quaeso, ante oculos tuos tabulam nostram, in qua descripsimus comitiorum centuria-

torum rationem[88]. Quodsi instituta Francica cum centuriatis Romanorum comparare vis comitiis, in locum *tribuum* regiones eligentes (*Wahlbezirke*) Francogallorum ponas. Idque si feceris, componendi concilii Francici rationem cum tributis Romanorum comparabis comitiis. Nam ut quaevis *tribus* Romana *unum* habuit in comitiis Romanorum *tributis* suffragium, in singulis autem tribubus suffragia ferebantur *viritim*: ita unum quaevis regio Francica in concilium mittit legatum, qui *paribus* eligentium suffragiis creatur. Hanc tribuum Romanarum regionumque Francicarum (*Wahlbezirke*) similitudinem memoria tenens, inspecta tabula nostra ne id quidem ignorabis, qua ratione componendum esset concilium, quod *abrogato censu eligendorum* (*Wählbarkeitscensus*) non Solonis sed comitiorum centuriatorum ratione formaretur[89]. Tale enim ad concilium non tribus (*Wahlbezirke*), sed centuriae (*Wahlkörper*) eligerent legatos. Neque vero indefinitae atque incertae essent ejusmodi centuriae. Nam ex regionibus terrae profluerent, ita ut mediae conditionis homines (*der wohlhabende Mittelstand*) primae respondentes Romanorum classi in quavis regione unum eligerent legatum; idque fieri posset electione directa. Caeteri autem, et ditiores et pauperiores e duabus vel tribus regionibus conjecti singulos crearent legatos electione indirecta. Haec vero quomodo essent ordinanda,

88) Tab. II.

89) cum grano salis, ut dicunt!

e cujusvis populi conditionibus penderet. Ac ne id quidem prorsus esset exclusum, quod sitiunt hac aetate multi homines nequaquam imprudentes, ut vivi hic atque illic ponerentur termini. Est enim e. g. ejusmodi terminus discrimen rusticorum cum jurisdictione et rusticorum sine jurisdictione in regno Bavarico. Vel si in regnis quibusdam liberis (ut in Anglia, in Bavaria, etc.) universitates litterarum suos habent in conciliis legatos, e Servii ratione hoc est institutum. Nam professoris eligentis sententia multo plus valet, quam rustici eligentis, si mille rustici haud plures creant legatos quam quinquaginta professores academici. — Sed satis jam somniavimus. Idque solum animum nobis reddit, quod lectores malevolos jam diu aures a sermone nostro avertisse confidimus. Benevolos autem admonemus, non nostram a nobis prolatam esse arrogantiam, sed ejus populi doctrinas, qui inter omnes rerum gerendarum longe erat peritissimus.

Excursus I.

De Ciceronis Planciana.

In Ciceronis oratione pro Cn. Plancio quum locum quendam legamus, quo exemplum petit orator a comitiis centuriatis, sunt qui in tota illa oratione de centuriatis sermonem esse comitiis putarint. Locus ille male a quibusdam perspectus hic est:

„An tandem una centuria praerogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit? tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum aedilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit? cujus in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint praerogata?"

Haec rite ut explicem, breviter exponendus mihi est totius caussae status. „Cum aedilitatem simul petivissent Cn. Plancius et M. Junius Laterensis, creatus aedilis est Plancius, Laterensis praeteritus. Qua ille ignominia commotus Plancium ex lege Licinia de sodalitiis h. e. coitionibus ad corrumpenda populi suffragia factis accusavit." Quam contra criminationem Cicero defendit Plancium hunc fere in modum: Laterensis accusarat Plancium, quod in iis comitiis, quibus *creatus esset* aedilis, cives corrupisset. Sed comitiis jam superioribus *designatus erat* aedilis Plancius. Quodsi sodalitiis creatum esse Plancium, demonstrare voluit Laterensis, id quoque ei pervincendum erat, in iis comitiis, quibus designabatur, Plancius, corruptum fuisse populum. Nam si designavit populus Plancium sine ulla corruptione, quid tandem miri, si idem populus, qui designarat, etiam creavit Plancium? In prioribus autem illis comitiis emta fuisse suffragia, nulla nec fuit, nec esse potuit suspicio; eamque ob caussam ne in posterioribus quidem comitiis largitione opus erat Plancio. Nam ut in comitiis centuriatis semper fere major

centuriarum pars praerogativae sequitur sententiam, ita comitia illa, quibus creatus est Plancius, praejudicium secuta sunt eorum comitiorum, quibus designatus erat aedilis. Quum vero nemo miretur, quod in comitiis centuriatis universus fere populus sequi soleat unam centuriam praerogativam, eo minus esse admirandum, quod in comitiis posterioribus universus populus secutus sit eam sententiam, quam idem ille populus tulerat in comitiis prioribus.

Ex illo igitur loco, quo centuriae praerogativae exemplum a centuriatis mutuatur comitiis Cicero, ut clariorem caussae suae afferat lucem, de natura eorum comitiorum, quibus designatus creatusque est aedilis Plancius, nihil colligi potest. Eamque ob caussam ad alia confugiendum est argumenta, si comitiorum Plancianorum indolem cognituri sumus. Ac primum quidem e capite 22, ejusdem fuisse generis et priora et posteriora comitia, discimus. Nam transiisse in comitiis posterioribus tribus quasdam e sua parte ad Plancium, queritur Laterensis. Itaque eadem ratione suffragia lata erant in utrisque comitiis. Quam ob caussam, quae de alterutris illorum comitiorum commemorantur a Cicerone, ad utraque conferri possunt. Haec vero omnia si probe perpenderis, in oratione nostra non de *centuriatis*, sed de *tributis* comitiis loqui Ciceronem, non negabis. Cujus sententiae argumenta hic habes:

1) Caput orationis nostrae 20 cum Cic. Phil. 2, 33 si comparas, diversi generis comitia de-

scribi in Planciana quam in Philippica, primo obtutu cognosces.

Plancianae verba haec sunt:

„*Vocatae tribus: latum suffragium: descriptae, renunciatae. longe plurimum valuit Plancius.*"

In Philippica autem, qua centuriata depingi a Cicerone comitia omnes consentiunt, hanc legimus descriptionem:

„*Ecce Dolabellae comitiorum dies:* sortitio *praerogativae: quiescit — renunciatur: tacet — prima classis vocatur: renunciatur — deinde, ut assolet, suffragia — tum secunda classis.*" —

2) Ubique in oratione nostra de tribubus sermo est a Plancio latis, de centuriis nusquam. „*Dubitabitis, inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?*" (cap. 22). — „*Et ais, prioribus comitiis Aniensem a Plotio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam: nunc ab utroque eas avulsas, ne in angustum venirent*" (ib.) Haec, sive nostram, sive Niebuhrii de comitiis posteriorum temporum sequeris sententiam, in *centuriata* nullo modo quadrant comitia. Nam et Niebuhrii opinione e binis composita erat centuriis quaevis tribus. Quarum centuriarum quum suo quaeque gauderet suffragio, nec de latis nec de concessis *tribubus* sermo esse potuit. Nam altera centuria unius tribus non ex voluntate alterius pendebat. Itaque de concessis *centuriis* non de concessis *tribubus* loqui debuit Laterensis.

3) Cap. 22 haec legimus.

„*An te illa argumenta duxerunt? Dubitabitis,*

inquit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius? An una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent? At nonnullas punctis paene totidem. Quippe cum jam facti prope superioribus comitiis declaratique venissent. Quamquam ne id quidem suspicionem coitionis habuerit, neque enim umquam majores nostri sortitionem constituissent aediliciam, nisi viderent, accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent.

Hoc loco apertis verbis Cicero' dicit, numerata esse in quavis tribu singula suffragia, et qui plura tulisset suffragia, ei cessisse tribum. Ea autem comitia, quibus singula in quavis tribu suffragia numerarentur sine ulla tribuum subdivisione, *tributa* adpellamus comitia.

Excursus II.

De Livii loco I, 43.

Sunt, quae in continua rerum demonstratione tam late sint tractanda, ut ipsa argumentorum copia obscurentur. Haec si in fine argumentationum nostrarum denuo volutamus, multo simplicius rem tractari potuisse videmus, si ea, quae disquisitionibus nostris invenimus, in initio posuissemus. Sed inter omnes convenit, in disquisitionibus historicis, quantum fieri possit, a singulis scriptorum veterum testimoniis ad judicia generalia esse as-

cendendum. Eamque ob caussam molestiorem sed certam anteposuisse viam commodiori fallacique nequaquam nos poenitet. Sed in fine viarum difficilium contortarumque boni est lectoris, e fastigio ascenso denuo respicere in cursum moleste peractum. Id quum in plerisque ad bonam lectorum suorum voluntatem rejicere debeat scriptor, tamen ad hunc et illum locorum tractatorum et ipse desiderat redire. Quam ob caussam veniam duint lectores, si ad locum difficillimum Livii (I, 43) denuo eos reducam.

Livii locum laudatum si cum tabula nostra II confers, facile invenies, septuaginta illas centurias, de quibus loquitur Livius, a caeterarum classium centuriis haud obscuris differre indiciis. Nam caeterarum classium centuriae quum e variarum tribuum tribulibus essent compositae, septuaginta primae classis centuriae singulis tribubus erant inclusae, ita ut binas quaevis tribus contineret centurias, alteram seniorum, alteram juniorum. Unde evenit, ut si quis e. g. Veturiam juniorum adpellaret, omnes scirent, centuriam primae classis intelligi. Nam tribus Veturia a caeteris separata unam tantum continuit centuriam juniorum. Quae quum ad primam pertineret classem[90]), nemo du-

90) Amicum quendam, qui sententias suas de libello nostro benignissime nobiscum communicavit, ad ea remittimus, quae de quinque classium divisione non sublata exposuimus in dissertatione nostra.

bitare potuit, sub Veturia juniorum primae classis centuriam intelligi. Nam caeterarum classium centuriae inter varias distributae erant tribus, ideoque ab una tribu nomen ferre non potuerunt. Hac ratione quum in omnibus comitiis centuriatis renunciaretur praerogativa sub nomine ejus tribus, ad quam pertinuit, apposito vocabulo „seniorum" vel „juniorum", haud absurda mihi videtur sententia, assuevisse paullatim Romanorum aures sub seniorum juniorumque centuriis notas illas primae classis centurias prae caeteris intelligere.

Sed haec dicendi ratio si nimis obscura tibi videtur, nunc, veram centuriarum mutatarum imaginem in tabula nostra II. ante oculos habens [91]), ne opus quidem esse illo breviloquentiae genere ad explicandum Livii locum, (I, 43.) haud dubie et ipse vides; dummodo id unum animo teneas, scripsisse Livium lectoribus, qui suae aetatis instituta nossent. Idque negari non posse, §. 6, 1 demonstravimus. Quam ob caussam qui Livium intelligere volunt, summa ope niti debent, ut eam sibi comparent reipublicae labantis notitiam, quam lectores Livii aequales haud dubie habebant. Itaque de perspicuitate Livii I, 43 si vis judicare, imaginem centuriarum mutatarum in tabula nostra II. depictam tam promtam habeas necesse est, ac si ipse sexcenties in comitiis centuriatis suffragium tulisses. Quodsi quis imaginem illam tam

91) Evolvas tabulam.

firmiter animo suo habuit impressam, ut nostrorum temporum homines descriptionem anni civilem, qua tandem ratione perperam intelligere potuit Livii verba:

„*Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum seniorumque ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire.*"

Quam ad classem conferre potuit septuaginta (2×35) illas centurias, nisi ad primam? In prima enim classe sola duplicatus erat tribuum numerus juniorum seniorumque centuriis. Et si tabula nostra II ante oculos posita totum caput 43 legeris, cuivis civi Romano, qui tabulam illam menti secum ferret impressam, perspicua fuisse Livii verba, concedes. Idque unum demonstrandum est scriptorum antiquorum interpreti, aequales intelligere potuisse, quid sibi vellet libri auctor. Nobis autem, qui de institutis moribusque antiquorum populorum perpauca sciamus ignorantes pleraque, utrum obscurus videatur scriptoris antiqui locus necne, prorsus nihil ad rem [92]).

---

92) Hanc adnotationem nonnisi eorum scribo in usum, qui pessumdatis planis caeterorum scriptorum testimoniis ex hoc uno Livii loco Niebuhrii opinionem defendere velint. „Potest quidem", inquiunt, „inesse is sensus Livii verbis, quem tu ex iis elicis, sed multo simplicior est Niebuhrii explicatio". Iterare caussas, cur stare

Excursus III.

De Niebuhrii emendationibus ad Cic. reip. II, 22 [93]).

Angelus Majus ad Cic. reip. II, 22. haec adnotat: Totum hunc vexatissimum locum ill. Nie-

nullo modo possit Niebuhrii sententia, hoc loco nequaquam volumus, quum aquam in mare ferre nos pigeat. Sed id solum adnotamus, quam egregie conveniat vel ipsi huic Livii loco Niebuhrii sententia. Ponas, quaeso, ante oculos tuos eam tabulam, qua descripsimus Niebuhrii sententiam, (§. 5). Hunc centuriarum ordinem, qui Livii temporibus jam per trecentos annos constitit, omnibus Livii lectoribus notum fuisse, statuas. Num tu vel unum inter Livii lectores fuisse putas, qui periculum faceret, num ea, quam Livius Servio Tullio adscribit quinque classium et 191 centuriarum divisio in duas suae aetatis classes quadraret? Sane, id mirari non debebat, 88 illarum Niebuhrianarum centuriarum numerum ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire. Illud vero jure admiraremur, quod opus visum esset Livio admonitione, ne quis miraretur, summam 80+8 non convenire cum summa 98+93. Atque illam immensam classium conversionem his verbis describit Livius: „hunc ordinem (χρίσιν Dionys.), qui nunc est"! Advocabunt fortasse ad explicandum hoc Livii verbum Virgil. ecl. IV, 5 interpretes: „Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo!

93) In conscribendo hoc opusculo praeter eas scriptorum antiquorum editiones, quas in adnotationibus meis collaudavi, usus sum his libris:

buhrius sic esse persanandum docte arbitratur: „ut equitum centuriae cum sex suffragiis, et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris lignariis est data LXXXVII. centurias habeant: quibus XII. centuriae, tot enim reliquae sunt equitum, solae si accesserunt". Hunc in modum locum nostrum emendavit circa annum 1822 Niebuhrius. In tertia autem historiae Romanae editione, quam publicavit anno 1828 vir ille clarissimus, haec legimus [94]):

„Mit bewundernswerther Gewandtheit entwickelt Cicero die ganze Einrichtung dieser Verfassung, eben indem er eine trockene Herzählung ablehnt. Unwissenden Abschreibern, und jener unseligen, den Buchhändlern des Alterthums dienstbaren, Klasse von Bücherberichtigern, die wie sie sich in den Unterschriften wohl rühmen, sine libris pro viribus ingenii die verkäuflichen Handschriften verbesserten, war er freylich nicht verständlich; und so entstand durch gedankenloses Abschreiben und dummes und verwegenes Aendern jene gräuliche Corruption, worin die Stelle er-

1) Niebuhrs Römische Geschichte, Neuste Ausgabe, (1839 hoc scripsi).

2) Walters Römische Rechtsgeschichte.

Confecto libello meo in manus venit Huschkii liber: Die Verfassung des Königs Servius Tullius. Inde comperi, eandem fere sententiam, quae mihi placuit, de Ciceronis loco (rep. II, 22.) proferri a Zumptio v. cl.

94) I, 499 sq. adnot. 1089.

scheint. Ich bin von der Richtigkeit der Herstellung, welche ich an einem andern Ort vorgetragen habe, ebenso anschaulich und gewissenhaft überzeugt wie von der Wahrheit meiner historischen Sätze: vielleicht werden es auch andre, wenn sie genetisch die Entstehung der Verderbniss sich vorstellen können. Wer, übrigens durch keine Vorurtheile bestrickt, und fähig zu einer Stimme in Dingen dieser Art, mit Handschriften, besonders sehr alten, nicht bekannt ist, — dass es dem schwer fallen kann, sich auch in die folgende Darstellung hineinzudenken, ist leicht begreiflich: aber ein solcher Mangel giebt doch keine Ansprüche auf höhere Befugniss zum Urtheil. Der Faden im Labyrinth ist: — was unbefangene Betrachtung der zerrütteten Stelle klar machen muss; — dass Cicero alle Centurien in zwei Haufen theilte; einer enthielt die der ersten Klasse und die ihnen zugegebenen Zimmerleute: der andre alle übrige; die Ritter und die 96 Centurien. Und nun sagt er: wenn von dieser auch nur die Ritter allein jenen zutraten, so waren die 96 Centurien, selbst wenn sie unzertrennlich zusammenhielten, überstimmt.

Der gesunde Text lautete so: Nunc rationem videtis esse talem ut prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXI. centurias habeat: quibus ex CXIV. centuriis, tot enim reliquae sunt, equitum centuriae cum sex suffragiis solae si accesserunt etc. Bey einer solchen Stelle rechnet der Leser,

und was ein solcher beygeschrieben, decem et octo, — als die Zahl der Centurien des ganzen Ritterstands, — kam in den Text einer Handschrift, so dass nun der Schluss lautete: equitum centuriae cum sex suffragiis decem et octo solae si accesserunt etc.

Davon ward dann eine Zeile ausgelassen, — die Worte eq. c. c. s. suf. X. et —, dann am Rande ergänzt, und in der Abschrift an einem falschen Ort — nach talem ut — eingeschoben, so dass jezt die Stelle vollkommen sinnlos so aussah: Nunc rationem videtis esse talem, ut *equitum centuriae cum sex suffragiis X et* prima classis ad. c. q. a. s. u. u. f. t. e. d. LXXXI. c. h. q. c.[95]) CXIV. c. tot enim reliquae sunt octo solae si accesserunt etc.

Jezt kam der unwissende Emendator, und meynte aus seinem Kopf Sinn hineinzubringen. Das Wort octo war an seinem Plaz geblieben; in der Folge ist von den 96 Centurien die Rede; da nun diese und 8 nur 104 machen, so ward CXIV. in CIV. geändert: eben so (oben, nach suffragiis) X. gestrichen, weil es auch keinen Schatten von Sinn gab. LXXXVIIII. ist daher entstanden dass ein Leser eben jene VIII. mit den LXXXI. summirt hatte.

---

95) legas: c. h. q. c.

Hactenus Niebuhrius. Anno 1822 igitur prorsus alia scripsisse visus est Cicero Niebuhrio quam post sex annos (1828). Unde primum colligimus, non tam certa esse verba genuina, ut confidenter affirmare possimus: „Der gesunde Text lautete so.“ Nam quae tandem est lectio ista genuina? Num lectio anni 1822? an lectio anni 1828? Sed dies diem docet, eamque ob caussam crimini dare nolumus viro sagacissimo commutationem sententiae. Sed candide concedamus, Ciceronem ita scripsisse, ut Niebuhrius anno 1828 voluit. Deinde, ut Niebuhrius ipse acerbissimis adjectis in librarios emendatoresque codicum conviciis exposuit l. l., omnia adeo corrupta esse a librariis necesse est, ut ne una quidem loci particula sana remaneret. Et, per deos immortales, locus hunc in modum susque deque versus, planissimum, ut demonstravimus, praebet sensum! Et quod gravissimum est, locus iste tam desperate corruptus quinque continet numeros, quorum quatuor distincte definiuntur. Et quamquam omnes illi numeri sunt adulterini, tamen casu quodam divino mirum in modum inter se conveniunt.

$$\begin{aligned} \text{Nam } 89 + 104 &= 193. \\ 89 + 8 &= 97. \\ 104 - 8 &= 96. \\ \hline 97 &> 96. \end{aligned}$$

Mutes quaeso vel unum ex his numeris, et omnia confundentur. Legas e. g. pro octo centu-

riis accedentibus: „*septem solae si accesserunt*“. Tum computatio haec est:

$$89 + 104 = 193.$$
$$89 + 7 = 96.$$
$$104 - 7 = 97.$$
$$96 < 97.$$

Itaque si unam tantum detrahis octo illis centuriis, quae accedere debuerunt primae classi, ut vis populi universa esset apud ditiores, contrarium invenies quam quod quaeris. Nam si septem solae accesserunt, calculus hic est:

In parte priore:

1) prima cl. cum tign. et equitibus	89
2) septem centuriae accedentes	7
Summa	96.

In parte posteriore suffragia dant:

reliquae centuriae =	104
quibus decedunt	7
rest.	97.

Itaque si pro octo centuriis accedentibus scribis septem, posteriores quatuor classes uno suffragio plus valent quam prima. At vero pro octo illis centuriis scribere possumus: „*Quibus novem solae si accesserunt.*“ Deinde hanc habemus computationem:

In parte priore

1) prima classis etc. =	89
2) Novem accedentes =	9
Summa	98.

In parte altera:

Reliquae centuriae = 104
a quibus decedunt 9
rest. 95.

Ac plures quidem sunt centuriae 98 primae classis quam 95 reliquarum classium, sed nihilominus iis verbis, quae legimus, uti Cicero nequaquam potuit. Neque enim dicere potuit: „*quibus novem solae si accesserunt*". Namque non opus erat *novem* centuriis accedentibus, sed *octo solae* accedere debuerunt, ut major vis esset in prima classe. Itaque tam bene congruunt omnia in lectione codicis nostri, ut, si vel unum moveas calculum, omnia pervertas. Atque haec mirabilis numerorum conspiratio ne ab uno quidem eodemque emendatore profluxisse videtur Niebuhrio. Nam LXXXVIIII. „ist daher entstanden, dass ein Leser eben jene VIII. mit den LXXXI. summirt hatte". Sed reliqui numeri originem ducunt e capite emendatoris cujusdam prorsus inscii. Ac nihilominus correctores illi alter alterius rationem nullam habentes mirum istum in modum concordant. Dirigebat scilicet sceleratos illos codicum corruptores vis quaedam geniorum superiorum similis ei, qua septuaginta veteris testamenti interpretes ita esse gubernatos, fabulantur Judaei, ut quamvis segregati essent, tamen iisdem omnes uterentur vocabulis in interpretationibus suis. Sed mittamus facetias. Namque in memoriam reducent lectores ea, quae in prooemio dis-

sertationis nostrae de immortali Niebuhrii opere diximus. Sed defendenda erat scriptoris antiqui integritas contra injurias emendatoris. Idque ex voluntate manium Niebuhrianorum a me factum esse, non dubito. Ideoque in sepulcro viri egregii depono has primitias studiorum meorum.

	Publilia	Maecia	Sca…
Equites plo…	…quites se…		
I. Cla…	…bl. …n.	Macc. sen.	Sc… se…
	…bl. …un.	Macc. jun.	Sc… j…
Tignar…			
Sex suffr…	…agia / …cere lice…		
II. Cla…	fuisse… / …iuniores		
III. Cl…			
IV. Cl…			
V. Cl…			
	videnti…		

